BIBLIOTHECA
THEOLOGICA

BIBLIOTHECA THEOLOGICA

SEPTEM LIBRIS DISTINCTA.

IN QVA

Exacto ordine reponuntur cuncta ad completam Sacræ Doctrinæ, vel Theologiæ notitiam spectantia, tam secundùm se, quàm secundùm diuersa eius munera, *Deducendi* conclusiones beneficio Artis Syllogisticæ, vndè *Scholastica*, vel *Argumentatiua*: *Ordinandi*, & *explicandi* locos Theologicos, vndè *Positiua*, siuè *Thetica*, & *Fundamentalis*: *Defendendi* sua principia aduersus omnia infidelium genera, vndè *Polemica*: *Disponendi* suas materias vndè *Methodica*: *Vtendi* metaphoris, vndè *Symbolica*: *Prouocandi*, vel *dirigendi* affectum in Deum, vndè *Mystica*.

A V T H O R E

F. DOMINICO A SS.^MA TRINITATE

CARMELITA DISCALC. PROVINCIAE PARISIENSIS.

TOMVS SEXTVS.


Complectens Librum quintum, in quò agitur de Sacra Doctrina quatenus suas disponit materias, nec non aliquas præscribit regulas illas tractandi, vndè vocatur Methodica.





R O M AE,
Typis Philippimariæ Mancini. M.DC.LXXVI.

SVPERIORVM PERMISSV.



INDEX

Sectionum, & Capitum Libri Quinti, hoc Sexto Tomo Bibliothecæ Theologicæ contenti.

LIBER QVINTVS.

De Sacra Doctrina, quatenus suas disponit materias, nec non aliquas præscribit regulas illas tractandi, vnde vocatur Methodica.



SECTIO PRIMA.

SECTIO

INDEX

SECTIO SECVNDA.



Impri-

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendissimo Patri Magistro Sacri Palatij Apostolici

I. de Angelis Archiep. Vrbin. Vicesg.



VLtimos huiusce Bibliothecæ Theologicæ libros à Reu. admodum Patre Dominico à Sanctissima Trinitate Exgenerali Patrum Carmelitarum Discalceatorum compositos ex iussu Reuerendissimi Patris Capisucchi Sacri Palatij Apostolici Magistri perlegi, & accuratissimè perlustraui: in quibus doctrinam Catholicæ Fidei consonam peritissimo tanti Viri stylo, & perlucidissimo ordine elaboratam inueni; quos proindè cum cæteris à me quoque examinatis, typis prolatos in lucem publici iuris fieri dignos iudicaui. Romæ die 8. Iunij 1676.

Frater Ioannes Malgoires in facultate Parisiensi doctor, & Procurator Generalis Ordinis Cisterciensis in Curia.



Imprimatur;

Fr. Raymundus Capisucchius Ord. Præd. Sac. Palatij Apost. Magister.

INDEX



BIBLIOTHECAE THEOLOGICÆ

LIBER QVINTVS

De Sacra Doctrina, quatenus suas disponit materias, nec non aliquas præscribit Regulas illas tractandi, vndè vocatur Methodica.



SECTIO PRIMA.

De Methodo, siue dispositione veluti se tenente ex parte materiæ.

CAPVT PRIMVM.

Quanta sit methodi vtilitas, in Sacra Doctrina.



I in alijs disciplinis, vel à Magistro tradendis, vel à Discipulo comparandis, methodus vtiliter adhibetur; vt enim quæ confusè traduntur, nec intelligi exactè, neque diu memoria teneri possunt: ita quæ ordine discuntur, & faciliùs percipi, & hærere firmiùs, atque sic paulatim in naturam quasi abire solent. Quare etiam non aliundè scientiæ omnes, à maioribus nostris per manus veluti traditæ, felicius ad nos peruenerunt, quam quod optimi, & doctissimi quique viri, id vnicè studuerint semper, vt quæ in illis essent sparsa, & confusa, ea methodica ratione in certa quędam capita colligerent, existimantes nihil ea neque ad memoriam iuuandam commodiùs, neque ad res maximas propriè explicandas efficaciùs

excogitari posse. Si ita, inquam, se habet in scientijs naturalibus, multò magis id in Sacra doctrina locum habere debet, sicut enim illas dignitate longè superat, ita etiam fatendum est eam diuinitus fuisse reuelatam, vt nō solùm peculiari quadam arte, & ratione nos ad præpotentis Dei perduceret cognitionem, sed vt ipsa aliarum artium omniū suo quodammodo forma esset atque regula. Indeque Sacri Doctores in tradendis cælestis doctrinæ mysterijs singulari semper vsi fuerunt artificio, variasque methodos adinuenerunt, quarum potiores hic referemus.

Quia autem methodus latè accepta diuiditur in ordinem, & methodum impropriè dictam, suique generis nomine appellatam; siue quod idem est, in methodum veluti se tenentem ex parte materiæ, aut subiecti scientiarū, debitè illud ordinando; & in methodum veluti se tenentem ex parte formæ, præscribendo modum, aut regulas, quibus in rerum tractandarum cognitionem, vel probationem deuenire possumus; de prima agemus in præsenti, de secunda autem in sequenti sectione; si tamen prius vtrumque diuisionis membrum breuiter explicuerimus, quantumque sufficit pro instituti nostri ratione.

Igitur cum methodus in genere sit habitus logicus, docens procedere ab hoc ad illud, cognitionis adipiscendę gratia, duplex esse potest iste processus: aut enim res ipsas tractandas disponimus, vt prius de hac, postea de illa agamus, aut à cognitione huius ducimur in cognitionem illius; aliud enim est hanc rem prius esse tractandam, vel cognoscendam, quàm illam; & aliud ex hac re nota nos duci in cognitionem illius ignotæ: hoc quidem methodi impropriè sumptæ munus est, illud autem ordinis, ordo enim nullā facit illationem huius rei ex illa, sed solùm disponit ea, quæ tractanda sunt, vt si dicamus ordinem Sacræ doctrinæ postulare, vt prius de Deo vno, quam de Deo trino agamus: vndè talem ordinem doctrinæ definire, vel describere possumus esse instrumentalem habitum, per quem apti sumus cuiusque disciplinæ partes ita disponere, vt quantùm fieri possit, optimè ac facillimè illa disciplina discatur. Methodus verò non disponit scientiæ partes, sed à noto ducit nos in cognitionem ignoti, inferens hoc ex illo, veluti quando ex motu venimus in cognitionem primi motoris immobilis: propterea dicitur, proprium esse ordinis disponere, methodi autem notificare; definiturque methodus sic sumpta, quod sit intellectuale instrumentum faciens ex notis cognitionē ignoti: ita vt intellectuale instrumentum genus methodi sit, quod ordinē quoque complectitur, facere autem ex notis cognitionem ignoti, sit differentia, qua methodus ab ordine distinguitur.

Ad quod discrimen declarandum videntur illa aptari posse, quæ docet Auerroes in primo commentario lib. 1 poster. analyticorum; videlicet præcognitionum demonstrationi necessariarum duo esse genera, alia namque est præcognitio dirigens, alia verò agens; dirigens illa dicitur, sine qua conclusio non colligeretur, sola tamen ad illam inferendam non sufficit, veluti præcognoscere quod subiectum sit, & quid eius nomen, & quid nomen affectionis significent, nam si vna aliquarum istarum desit, nihil potest demonstrari, ex his tamen solis nihil demonstratur. Pręcognitio autem veritatis propositionum est præcognitio agens: quia iam agit, & infert necessariò conclusionem. Dici igitur in præsentia potest, tàm ordinem, quàm methodum esse progressum à notioribus, ordinem quidem à notioribus cognitione tantùm dirigente ad aliorum notitiam, methodum verò à notioribus etiam cognitione agente, quæ vt diximus est propria illius differentia; nec

nec ordini competit, nisi quatenus est in eo aliqua methodus.

Rursus adæquatè diuiditur ordo in compositiuum, quem vocant à principijs, & inseruit scientijs contemplatiuis, & in resolutiuum, quem vocant ad principia, & inseruit scientijs practicis: vbi enim multa ordinatè tractanda sunt, quorum alia sunt aliorum principia, nullus alius videtur conuenientior ordo seruari posse, quam vel à principijs ad vltima, vel ab vltimo ad principia. Insuper cum præter scientias contemplatiuas, & practicas non detur tertium disciplinarum genus, sequitur etiam non dari præter duos illos, alium ordinem, quo aliqua disciplina scribi, vel tradi possit. Pro contemplatiuis enim, quæ solam rerũ tractandarum cognitionem pro fine habent, & in quibus proindè à primis principijs inchoando, progredi debemus ad posteriora principia, & ad ea, quæ ex principijs constant, & à simplicibus ad composita, vt perfecta rerum cognitio tradatur, datur ordo cõpositiuus. Pro practicis autem, in quibus non amplius ipsam propter se rerum cognitionẽ quærimus, sed propter operationem, & alicuius finis adeptionem, atque adeò cogimur ab illius finis notione auspicari, & ad prima principia inuestiganda procedere, à quibus operationem postea incepturi sumus, da tur ordo resolutiuus. Propterea definitur, esse instrumentum logicum disponens, quomodo à notione finis, qui ab homine liberè operante produci, & generari queat, progredimur ad inuenienda, & cognoscenda principia, ex quibus operationem postea inchoantes, producere, & generare finem illum possimus: Compositiuus verò, esse logicum instrumentum, quo cuiusque contemplatricis scientiæ partes ita disponimus, vt à primis vti principijs exordiendo, & ad secunda transeundo tandem ad proxima perueniamus, vt quantum in eo genere fieri possit, optimè, & facillimè rerum tractandarum scientiam adipiscamur.

Methodus etiam prout distinguitur ab ordine, diuiditur in demonstratiuã, & resolutiuam; cum enim methodus sic sumpta vim habeat illatricem, & hoc ex illo colligat, quam ordo quatenus ordo est non habet, sed disponendi solùm, nil aliud videtur esse methodus quam syllogismus; quia igitur in syllogismo sciendi gratia constructo, necesse est vel à causa ad effectũ, vel contra ab effectu ad causam progressum fieri, indè etiam duæ scientificæ methodi oriuntur, vna demonstratiua, altera resolutiua; quamuis adhuc demonstratiua non incongruè vocari possit compositiua, cùm enim compositio sit via contraria resolutioni, necesse est vt quemadmodum progressus ab effectu ad causam dicitur resolutio, ita eum, qui est à causa ad effectum, liceat appellare compositionem.

Notandum est autem ita præfatas diuisiones esse suo modo adæquatas; vt adhuc plures aliæ dari possint accidentales, v.g. in ordine, quot sunt diuersi modi accidentaliter disponendi per suas partes obiectum vniuscuiusque scientiæ; in methodo verò, quot sunt diuersi modi illas tractandi, & explicandi; de quibus omnibus hìc promiscuè agimus. Similitèr licet sit difficultas inter Doctores, quid sit Methodus propriè dicta, siue in quo propria eius ratio consistat; aliqui enim putant Methodum esse instrumentum notificans, id est faciens ex notis cognitionem ignoti; alij verò probabiliùs docent esse tantùm disponens, vt ea scilicet anteponat, quorum cognitio nos dirigat, & nos iuuet ad ea, quæ posterius tractantur cognoscenda; cum facere cognitionẽ ignoti, siue esse ignoti manifestatiuum, sit potius proprium modi sciendi, quàm methodi; vndè definitur modus sciendi, oratio ignoti manifestatiua, nec solùm comprehendit argumentationem, sed etiam definitionem, & diuisionem; cum enim igno-

ignotum ſit duplex, complexum videlicet, ac incomplexum; ſi illud fuerit complexum, manifeſtatur per argumentationem: ſi verò incomplexum, vel ignoramus eſſentiam; & hanc explicat definitio: vel partes eius, & has manifeſtat diuiſio. Licet, inquam, ita dubitetur inter Doctores de propria methodi ratione, nemini tamen dubium eſſe poteſt, quin larga quadam ſignificatione talis ratio competat, omnibus illis rebus, quæ in aliqua diſciplina conducere poſſunt, vt meliorem, ac faciliorem eius cognitionem conſequi poſſimus. Sed de his ſatis, de quibus vide dicta lib. 3. ſect.7. cap. 6. in fine.

CAPVT II.

De Methodo, ſiue ordine, quem ſeruauit S. Dionyſius Areopagita in tradenda Sacra Doctrina.

INter Sacros Doctores, qui diuerſas methodos adinuenerunt, vndè fidelibus facilior ad Sacroſancta Theologiæ myſteria pateret aditus, primum inter Græcos obtinet locum S. Dionyſius Areopagita, Galliarum Apoſtolus, & primus Pariſiorum Epiſcopus. Hunc enim Dionyſium, quem Paulo Apoſtolo Athenis prædicante, ad fidem Chriſtianam fuiſſe conuerſum Acta Apoſtolorum teſtantur, ſcripſiſſe quæ eius nomine circumferuntur opera, tã conſtans Eccleſiæ in breuiario traditio eſt, totque Scriptorum tam Græcorũ, quàm Latinorum authoritate, & teſtimonio comprobata, vt id negare, videatur aliquibus temeritate non carere; quod quia iam à multis copioſè demonſtratum fuit, poſſunt illi conſuli, præſertim Andreas du Sauſſay in lib. de ſcript. myſticis; Petrus Halloix Societ. Ieſ. in quæſt. de vita, & operibus S. Dionyſij; Martinus Delrius in Vindicijs Areopagiticis, Petrus Lanſellius in diſputat. Apologetica, Ioannes de Chaumant in defenſione Areopagitæ aduerſus Hæreticum Caluiniſtam, Antonius Poſſeuinus in Appar. Sacro, alijque ab ipſo citati.

Nunc ergo ad rem noſtram veniendo, S. Dionyſius habita ratione loci, diuidit Theologiam in Cæleſtem, Subcæleſtem, & Supercæleſtem; agendo de ſacris fidei noſtræ arcanis, ſub titulo Cæleſtis, ſiue Angelicæ, Subcæleſtis ſiue Eccleſiaſticæ, & Supercęleſtis, ſiue Diuinæ Hierarchiæ, cum de diuinis nominibus, & Myſtica Theologia.

Vel inſuper cùm ex doctrina huius Sancti, quadruplex de Deo diſcurrendi ratio habeatur; Prima provt eſt in ſeipſo, concipiturque ſecundum eas proprietates, ac perfectiones, quæ illi ex natura rei, ſeu ad intra, & ſubſtantialiter conueniunt, vt ſunt eſſe vnum in natura, trinũ in perſonis, & ſimilia.

Secunda, prout conſideratur Deus cum reſpectu, & ordine ad creaturas, quatenus videlicet primus earum author eſt, gubernator ac finis, & ſic illi, deſumpta ex creaturis nomina via cauſalitatis, & affirmationis accommodantur. Tertia, pro vt Deus in Sacris Scripturis variarum rerum corporearum figuris repræſentatur, & earumdem nominibus afficitur, vt cum vocatur Ignis, Leo, agnus &c. Quarta, pro vt per omnium rerum conceptibilium ablationem, & noſtri ipſius abnegationem, diuinæ charitatis ſubuecta pennis mens noſtra in Deum erigitur, & inacceſſibili præſentiæ ipſius luce obtenebrata, caligando penitus extra ſupraq; ſe rapitur, & abſorbetur.

Iuxta hanc quadruplicem diuina cognoſcendi rationem, videtur Diuinus Areopagita ſacram doctrinam ſapienter ordinaſſe, ac diuiſiſſe. Primam enim rationem tenuit in libro Hypotipoſeon, ſeu Theologicarum informationum, cuius meminit cap. 1. & 2. de diuinis nominibus, & cap. 3. Theolog. Myſticæ; ſed magno Eccleſiæ damno excellentiſſimus ille tractatus perijt. Secundam rationem obſeruauit in libro de diuinis nominibus, qui adhuc

Summo

Summo Dei beneficio nobis superest. Tertiam in Symbolica Theologia tradiderat, cuius mentionem facit c. 15. de cœlesti Hierarchia, & cap. 1. & 13. de diuinis nominibus, & cap. 3. de Mystica Theologia, & epistola 9. quæ est ad Titum, sed hic etiam tractatus desideratur. Quartam denique, maximeque mirabilem practice Theologizandi rationem tradit in mystica Theologia. Ita vt nulla Theologiæ pars ab illo diuinissimo plane viro prætermissa videatur, cuius firmissima non iecerit fundamenta. Et relicta modo Theologia symbolica, & mystica, de quibus Deo dante in sexto, & septimo huius operis libro agemus; sufficienti probatione demonstratum iri puto, primam in Theologia etiam Scholastica laudem sibi vindicare S. Dionysij opera, si breuem illorum, quæ supersunt indicem, nec non etiam locorum, quæ Diuus Thomas tàm in Summa, quàm alibi citat, hic eruditi lectoris oculis subiecero.

De Cælesti Hierarchia.

CAp. I. Diuinam omnem illustrationem, secundum bonitatem diuersimodè ad ea quæ prouidentia reguntur emanantem, manere simplicem; neque hoc solum; verum etiam vnificare ea quæ illustrantur.

II. Quod aptè res diuinæ atque cælestes dissimilibus etiam signis explicentur.

III. Quid sit Hierarchia, & quænam eius vtilitas.

IV. Quid Angelorum nomen significet.

V. Quare omnes essentiæ cælestes communi nomine Angeli vocentur.

VI. Quænam sit prima cælestium essentiarum distinctio, quę media, quæ postrema.

VII. De Seraphim, Cherubim, & Thronis; deque prima eorum Hierarchia.

VIII. De Dominationibus, Virtutibus, & Potestatibus, & de media eorum Hierarchia.

IX. De Principatibus, Archangelis, & Angelis, deque vltima eorum Hierarchia.

X. Repetitio, & conclusio Angelici Ordinis.

XI. Cur omnes cælestes naturæ cõmuni nomine virtutes cælestes appellentur.

XII. Cur hominum Antistites Angeli vocentur.

XIII. Cur à Seraphim purgatus fuisse dicatur Isaias Propheta.

XIV. Quid significet traditus Angelorum numerus.

XV. Quæ sint formatæ imagines Virtutum Angelicarum.

De Ecclesiastica Hierarchia.

CAp. I. Quæ sit Ecclesiasticæ Hierarchiæ traditio, & quis eius scopus.

II. De ijs, quæ in illuminatione, seu Baptismo peraguntur.

III. De ijs quæ in Synaxi peragũtur.

IV. De ijs quę in vnguento fiunt, ac perficiuntur.

V. De Sacrorum Ordinum consecrationibus.

VI. De Ordinibus, qui initiantur.

VII. De ijs, quę fiunt circa defunctos.

De Diuinis Nominibus.

CAp. I. Quis libri finis, & quæ de Diuinis Nominibus prodita sunt. II. De copulata distinctaque Theologia, & quæ sit diuina vnio, & distinctio. III. Quę sit vis orationis, & de Beato Hierotheo, de religione, & conscriptione Theologica. IV. de Bono, Luce, pulchro, amore, extasi, zelo; & quod malum neque ens sit, neque ex entibus, neque in entibus. V. de Ente, in quo etiam de exemplaribus. VI de Vita. VII. de Sapientia, mente, ratione, veritate, fide. VIII. de potentia, iustitia,

tia, salute, redemptione; vbi etiam de inæqualitate. IX. de magno, paruo, eodem, alio, simili, dissimili, statu, motu, ęqualitate. X. de Omnipotente, Antiquo dierum; in quo etiam de ęuo, seu æternitate, & tempore. XI. de pace, quidque sibi velit ipsum per se esse, quæ sit per se vita, quæ vis ipsa per se, & quæ ita dicuntur. XII. de Sancto Sāctorum, Rege regum, Domino dominantium, Deo deorum. XIII. de perfecto, & vno.

De Mystica Theologia.

CAp. I. Quænam sit diuina caligo. II. Quomodo oporteat etiam vniri, ac laudes referre omnium authori, qui est super omnia. III. Quæ sint affirmantes de Deo locutiones, quæ negantes. IV. Quod nihil rerum sensibilium sit is, qui omnis rei sensibilis secundum excellentiam est author. V. Quod nihil rerum intellectilium sit is, qui omnis rei intellectilis secundum excellentiam est author.

Epistolæ.

I. CAio Monacho, de ignoratione, & cognitione Dei. II. eidem Caio, quomodo Deus sit supra principium diuinitatis, ac bonitatis. III. eidem Caio, quid significet ἐξαίφνης seu repente in Mysterio Incarnationis. IV. eidem Caio, quomodo Christus verus homo, ac Deus. V. Dorotheo Ministro de caligine. VI. Sosipatro Sacerdoti, de defendenda veritate. VII. Polycarpo Antistiti, quomodo ei cum Apollophane agendum sit. VIII Demophilo Monacho, de propria operatione, & clementia. IX Tito Episcopo, roganti per epistolam, quæ sit domus Sapientiæ, quis crater, & quisnā eius cibus, ac potus. X. Ioanni Theologo Apostolo, & Euangelistę in Patmo insula cantanti.

Tantum de operibus Diuini Areopagitæ, quæ adhuc supersunt; nam præter illa magno Ecclesiæ damno perierunt libri de Symbolica Theologia, de anima, de diuinis hymnis; Theologicarum informationum, de iusto, & diuino iudicio; de ijs quæ intelligentia, & sensu percipiuntur. Hos enim libros Dionysium scripsisse, nulli magis quam ipsi credimus, qui locis superius citatis de Theologia Symbolica, & Theologicis informationibus meminit; de anima; item de iusto, & diuino iudicio meminit cap. 4. de diuin. nominibus; De hymnis diuinis cap. 7. cælest. Hierarch. De ijs tandem quę intelligentia, & sensu percipiuntur cap. 1. & 2. de Ecclesiastica Hierarchia.

Cum autem S. Theologia sit scientia secundum verbum Dei, illiusque authoritati principaliter innixa. Magnus Dionysius vt sapiens architectus, vbique semper præfatorum operum Theologicorum fundamentum posuit verbum Dei, tùm scriptum tùm traditum; cap. 1. 2. & 6. Cælestis Hierarchiæ: item cap. 1. Ecclesiast. Hierarchiæ, vbi præclara hæc habet verba. *Substantia enim Hierarchiæ nostræ sunt diuinitus tradita oracula. Maximè verò ista oracula dicimus veneranda, quæ à Sacris nostris initiatoribus, diuino Spiritu afflatis, in Scripturis Sacris, librisque Theologicis tradita nobis sunt; vti & illa, quæ ab ijsdem viris sanctis, subtiliori, non omninò dissita ab ordine cælesti insinuatione, de mente in mentem mediante verbo, corporeo quidem illo, simul tamen immateriato, sine scriptione, institutores nostri Sacra quadam traductione sunt edocti.* Item in lib. de diuinis nominibus cap. 1. hanc sibi legem præfigit, vt nihil nisi ex Scriptura dicat. Quæ etiā vt maius apud nos momentum habeat, per sublimissimas, & prorsus diuinas loquendi formulas; eius authoritatem nobis inculcat. Sic cap. 1. de cælesti Hierarchia vocatur in titulo *diuina illustratio*; & in contextu. *à Patre mota illustrationis emanatio*; Eamdemque ob causam SS. Apostolos, aliosque Scripturę Sacræ authores, passim

Theo-

Theologos, diuino numine afflatos, Sacros nostros initiatores, ex superessentiali diuinitate, sacro ipsos munere repletos appellat.

Non desunt quoque huic diuinissimo viro phrases propriæ, modique loquendi mirabiles, & plusquam humani, tam ad exprimendam suorum conceptuum sublimitatem, quàm ad ipsiusmet diuinitatis supra omnia creata mente conceptibilia eminentiam significandam. De quibus videri possunt eius interpretes, & nouissimè Balthasar Corderius Soc. Iesu in Onomastico Dionysiano, vbi verba, & nomina singularem aliquam formationem, ac significationem habentia explicat. Nos iam promissum indicem dabimus locorum ferè omnium, quę D. Thomas citat, & in diuersis operum suorum partibus interpretatur.

Ex cælesti Hierarchia.

CAput primum citatur 1. par. quęst. 1. artic. 9. in corp. & ad 2. & 3. Item quæst. 9: art. 1. ad 3. quæst. 88. art. 2. & q. 108. art. 1. & 4. Prima Secundæ, qu. 99. art. 3. Tertia parte qu. 60. art. 4. In 1. sentent. disp. 22. qu. 1. art. 1. & dist. 34. q. 3. art. 1. In 2. sentent. distinct. 9. q. 1. art. 8.

Caput secundum citatur 1. p. quęst. 13. art. 3. & 12. quæst. 54. art. 2. Secunda Secundæ quæst. 112. art. 1. in 1. sentent. dist. 4. quæst. 2. art. 2. dist. 22. quæst. 1. art. 1. & 2. distinct. 34. quæst. 3. art. 1. In quęstion. disputat de Potentia Dei q. 3. art. 4. q. 7. art. 5. q. 9. art. 7.

Caput tertium citatur 1. p. qu. 106. art. 2. q. 108. art. 1. & 2. Secunda Secundæ q. 181. art. 8. Tertia parte. qu. 84. art. 3. In supplemento q. 37. art. 1. q. 72. art. 1. In 2. sentent. distinct. 9. q. 1. art. 1. & 2. dist. 10. art. 1. & 2. in quęstionibus disputatis de Potent. Dei q. 2. art. 3. de malo q. 7. art. 3. de veritate q. 9. art. 3.

Caput quartum citatur 1. p. q. 12. art. 11. quæst. 13. art. 3. q. 57. art. 1. q. 108. art. 3. q. 211. art. 1. In Prima Secundę q. 3. art. 7. q. 98. art. 3. q. 111. art. 1. In Secunda Secundę q. 2. art. 6. & 7. In Tertia parte q. 10. art. 4. q. 12. art. 4. quæst. 20. art. 1. qu. 27. art. 5. qu. 30. art. 2. qu. 55. art. 1. & 2. In supplemento qu. 77. art. 2. In 1. sentent. dist. 17. q. 1. art. 1. In 2. sent. dist. 9. q. 1. art. 1. distinct. 12. in expositione textus, & q. 1. art. 3. In quæst. disput. de malo q. 3. art. 4. de veritate qu. 10. art. 1. & quæst. 11. art. 3.

Caput quintum 1. p. quęst. 1. art. 10. qu. 106. art. 3. q. 108. art. 2. & 5. q. 113. art. 2. In 1. sententiarum distinct. 17. q. 1. art. 4. In quęst. disput. de Potentia Dei q. 6. art. 7. de malo q. 3. art. 7. quęst. 6. art. 7. & quęst. 9. art. 5.

Caput sextum citatur 1. p. q. 56. art. 1. q. 58. art. 5. q. 106. art. 2. q. 108. art. 1. & 3. In tertia parte q. 21. art. 2. In 2. sentent. distinct. 9. q. 1. art. 2.

Caput septimum citatur 1. p. q. 12. art. 8. q. 57. art. 5. q: 106. art. 2. & 4. q. 107. art. 2. q. 108. art. 1. 2. 5. & 6. In Prima Secundę q. 28. art. 5. q. 67. art. 2. q. 111. art. 1. q. 112. art. 1. In secunda secundæ quęst. 2. art. 6. & 7. In tertia parte q. 12. art. 4. q. 13. art. 2. qu. 30. art. 2. q. 59. art. 6. q. 67. art. 1. In 1. sententiarum dist. 37. q. 3. art. 1. In 2. sentent. distinct. 9. q. 1. art. 7. distinct. 10. q. 1. 2. & 3. In quæstionibus disputatis de veritate q. 9: art. 3.

Caput octauum citatur 1. p. q. 66. art. 3. q. 106. art. 1. & 2. q. 108. art. 2. 5. & 6. q. 112. art. 2. & 4. In prima secundæ q. 111. art. 1: In supplemento q. 73. art. 3. In 1. sententiarum distinct. 37. q. 4. art. 3. In 4. sententiarum dist. 24. q. 2. art. 1.

Caput nonum citatur 1. p. qu. 108. art. 2. 5. & 6. In prima secundę qu. 98. art. 5. In secunda secundę qu. 2. art. 7. In 3. p. q. 64. art. 7. In 2. sentent. dist. 11. q. 1. art. 2.

Caput decimum citatur 1. p. q. 108. art. 2. & 3. In 2. sentent. distinct. 9. q. 1. art. 2.

Caput

Caput vndecimũ citatur 1.p. q. 79. art.1. In supplemento q. 73. art.3. In 2. sententiar. distinct. 10. quæst. 1. art. 2.

Caput duodecimum citatur 1.p.qu. 55. art. 3. q. 106. art. 4. In secunda secundæ q. 2. art.6. In 2. sentent. distinct. 10. q. 1. art. 2. In quæstionibus disputatis de veritate q.29.art.5.

Caput decimum tertium citatur 1. parte q.112.art. 2. In 1. sentent. distinct.15.q.1. art.1. distinct.17. qu.1. art.4. In 2. sententiarum distinct. 10. q.1. art.2. & 4. distinct. 11. q.1. art.2.

Caput decimum quartum citatur 1. parte. q. 50. art. 3. in quæst. disput. de Potentia Dei, q.6.art.6. de virtutibus q.1. artic.8.

Caput decimum quintum citatur 1.parte. qu.51. art. 3. qu.106. artic. 1. quæst.107. art.5. q.115. art.1. In prima secundæ q.31. art.4.

Ex Libro,
De Ecclesiastica Hierarchia.

Caput primum citatur 1. parte q.108. art.4. In 3. parte qu. 64. art. 6. In supplemento q. 31. art.3. In 2. sentent. distinct. 9. q.1. art. 8. In 4. sentent. distinct.3. q.2. art.1. In quæst. disputatis de veritate, q.8.art.7.

Caput secundum citatur in 3. parte, q.63.art.2.q.65.art.1.q.66.art.1.q.67. art. 1. & 7. qu.69. art. 5.qu.71. art. 4. q.80. art.9. quæst.83. art.5. In supplemento q. 29. art.1. in 4. sentent. dist.1. q.1. art.2. distinct.6. q.2.artic.1.2.& 3. distinct.12. q.2. art.1.

Caput tertium citatur 3.parte q.63. artic.6. q.65. artic.1. & 3. q.66. art.11. q.67. art.1. q.80. art.9. qu.83. art.4. & 5. In supplem. q.29. art. 6. q.37.art.2. in 4. sentent. distinct.8. qu.1. art.1 distinct.24. q.2. art.1. & 2.

Caput quartũ citatur 3. parte q.16. art.3. qu.72. art.2. In 2. sentent. dist.9. quæst.1. art.8. In 4. sentent. distinct. 3. q.2. artic.1. dist. 7. qu.1. artic. 1. & 2. distinct. 7. q.2. art. 1.

Caput quintum citatur 1. parte, q.1. art.10. q.106.art.3. q.108. art.2.q.113. art.2. In prima secunda q. 106. art. 4. In 3. parte q.61. art.4. q.67.art.1. In supplemento q. 31. art. 1. & 2. qu. 34. art.1. q.37. artic.2. & 4. qu. 40. art.4. & 5. qu.72. art. 2. In 4. sententiar. distinct.7. q.3. artic. 1. distinct. 8. qu. 1. artic. 1. distinct.23. q. 2. art. 1. In quæst. disputatis de veritate, quæst. 9. art.3.

Caput sextum citatur 1. parte q. 56. art.1. q.58. artic.5. q. 106. art. 2. In prima secundæ q.76. art. 2. In secunda secundæ q.184. artic. 8. q.185. artic.1. q.186. art.5. q. 187. art.3. In 3. parte q. 27. artic.3. In supplemento qu. 71. artic.3.

Caput septimum citatur 3.par.q.67. artic. 7. & 8. qu. 68. artic. quæst. 72. artic.4. q.79. art.3. q.80.artic.4. q.84. artic.3. In Supplem. quæst. 71. art. 3. In quæstionibus disputatis de Malo, q.8. artic.1. quæst.16. artic.6. de veritate q. 9. artic.1.

Ex Libro,
De Diuinis Nominibus.

Caput primum citatur 1. parte q.12. artic.1. & 2. q.13. artic.1. & 2. quæst.15. artic.3. q. 32. artic. 2. q.36. artic.2. q.39. artic. 2. q.57.art.1. q.88. art. 2. In secunda secundæ q. 13. artic. 1. q.91. art.1. q.101.art.3.q.106. artic.3. In 3. parte q.20. art.1. In 1. sentent. dist.22. q.1. artic.2. & 4. In quæst. disputatis de Potentia Dei, q. 7. art.5. de Malo q.5. art.1. de Virtutibus q. 2. artic.2.

Caput secundum citatur 1. parte, q.32. artic.1. q.67. artic.2.q.93. art.2. In 1. sentent. distinct.15. q.2. artic.2.distinct.21. q.1. art.1. dist.28. q.1. art.1. In 2. sentent. distinct.13. q. 1. artic. 3. In quæst. disputatis de Potentia Dei, q.10. artic.1. de Malo. q.16. artic.7. de veritate q.4. art.6.

Caput tertium citatur 1. parte, q.5. artic.2. q.13. artic. 11. qu.19. artic. 9. In secunda secundæ q.83. art.2.q.101. artic.3.

artic. 3. In 1. sentent. distinct. 37. q. 1. art. 2.

Caput quartum citatur 1. par. q. 48. artic. 1. 2. 3. & 6. q. 49. art. 1. q. 50. art. 2. 3. & 5. q. 51. art. 1. q. 54. art. 2. q. 55. art. 1. q. 57. art. 1. q. 58. art. 4. & 5. q. 63. art. 4. q. 64. art. 1. & 2. q. 67. art. 1. & 4. q. 82. art. 2. q. 93. art. 2. q. 93. art. 2. q. 94. art. 2. q. 106. ar. 1. q. 115. art. 3. In 1. 2. q. 1. art. 4. q. 2. art. 3. q. 10. art. 4. q. 18. art. 11. q. 19. art. 1. & 6. q. 24. art. 1. q. 26. art. 1. 2. & 3. q. 27. art. 2. q. 28. art. 1. 3. 4. 5. & 6. q. 29. art. 3. & 4. q. 35. art. 7. & 8. q. 46. art. 1. q. 51. art. 4. q. 55. art. 4. q. 60. art. 5. q. 63. art. 1. & 2. q. 70 art. 4. q. 71. art. 2. & 5. q. 72. artic. 1 & 9. q. 80. art. 4. q. 87. art. 1. qu. 78. artic. 1. q. 109. art. 3. & 6. q. 112. ar. 3. In 2. 2. q. 8. art. 1. qu. 24. art. 2. q. 25 art. 4. & 7. q. 27. art. 4. & 5. qu. 29. art. 3. q. 31. art. 1. q. 82. art. 2. q. 92. art. 1. & 2. qu. 110. artic. 3. qu. 123. art. 1. & 12. q. 129 art. 2. q. 141. art. 1. & 2. q. 145. art. 2. q. 158. artic. 1. q. 159. art. 8. 162. art. 1. q. 165. ar. 1. q. 167. art. 1. q. 175. art. 2. q. 177. art. 1. q. 180. art. 6. In 3. Parte q. 44. art. 2. q. 46. art. 1. In supplemento q. 49. art. 5. q. 50. art. 1. q. 89. artic. 4. In 1. sentent. distinct. 1. q. 4. distinct. 2. q. 2. art. 1. & 4. distinct. 17. qu. 2. text. distinct. 17. q. 2. art. 1. dist. 34. q. 2. distinct. 34. q. 3. art. 1 distinct. 37. q. 4. art. 1. disput. 42. q. 1. art. 2. distinct. 44. qu. 1. art. 3. distinct. 46. quæst. 1. art. 3. distinct. 46. in exposit. Text. In 2. sentent. distinct. 7. q. 1. art. 2. distinct. 11. q. 1. art. 2. distinct. 13. q. 1. art. 4. distinct. 18. qu. 1. art. 2. In quæstionibus disputatis, de Potentia Dei, q. 1. art. 6, q. 2. art. 3. qu. 3. art. 6. & 15. q. 4. art. 2. de Malo q. 1. art. 1. 2. 3. & 5. qu. 2. art. 1. 2. 4. 7. 9. 11. & 12. q. 3. art. 1. 2. 9. 12. & 14 art. 1. 2. & 6. qu. 16. art. 1. 2. 3. 4. 5. & 6. de Virtutibus q. 1. art. 1. 17. 18. & 19. de Veritate q. 8. art. 15. qu. 28. art. 2.

Caput quintum citatur 1. parte q. 4 art. 3. q. 15. art. 3. qu. 44. art. 3. qu. 57. art. 1. q. 91. art. 1. In Prima Secundæ q. 2. art. 5. q. 79. art. 2. In 3. Parte q. 13. art. 1. In 1. sententiarum distinct. 8. q. 2. art. 3. distinct. 17. q. 2. art. 2. distinct. 24. q. 1. art. 1. disp. 35 qu. 1. art. 1. distinct. 36. qu. 2. art. 3. distinct. 46. q. 1. art. 2. In quęst. disput. de Potentia Dei q. 7. art. 1. de Malo q. 16. art. 9. de Virtutibus q. 1. art. 8. de Veritate q. 8. art. 8. q. 20. art. 5.

Caput sextum citatur Prima parte q. 18. art. 1. In quæst. disputatis de Malo q. 16. art. 4.

Caput septimum citatur Prima par. q. 14. art. 10. q. 55. art. 2. q. 16. art. 3 q. 58. artic. 3. 4. & 5. q. 75. art. 7. In Prima Secundæ q. 112. art. 1. In Secunda Secundę q. 1. art. 1. q. 8. art. 1. q. 180. art. 3. q. 188. art. 7. In Primum sentent. distinct. 2. q. 1. art. 2. distinct. 4. q. 2. art. 1. distinct. 8. q. 2. art. 1. & q. 4. art. 3. distinct. 19. q. 2. artic. 1. distinct. 38. q. 1. art. 3. In quęstionibus disputatis de Potentia Dei qu 6. art. 6. de Malo q. 16. art. 1. de Virtutibus qu. 1. art. 2. & qu. 2. art. 3. de Veritate q. 8. art. 8. & 15.

Caput octauum citatur Prima Parte q. 21. art. 1. q. 56. art. 3. In 2. 2. qu. 175. art. 1. in quæstionibus disput. de Veritate q. 8. art. 9.

Caput nonum citatur Prima Parte q. 3. art. 1. q. 4. art. 3. q. 21. art. 1. q. 42. art. 1. q. 56. art. 3. In Primum sent. distinct. 3. q. 2. art. 2. distinct. 19. q. 1. art. 2. In quæstionibus disputatis de Potentia Dei q. 7. art. 7. de Malo q. 3. artic. 1.

Caput decimum citatur Prima Parte q. 9. art. 2. In Primum sent. distinct. 19. q. 2. art. 1.

Caput vndecimum citatur Prima Parte q. 44. art. 2. q. 84. art. 5. In 2. 2. q. 29. art. 1. & 2.

Caput duodecimum citatur Prima Parte q. 13. art. 8. q. 108. art. 2. In 2. 2. q. 29. art. 2. In quæst. disput. de Potentia Dei q. 9. art. 7.

Caput decimum tertium citatur Pri-

ma Parte q. 11. art. 1. In Primum sent. distinct. 2. q. 1. art. 1. & 3. In quæst. disputatis de Potentia Dei q. 7. art. 5. q. 9. art. 7.

Ex Mystica Theologia.

CAput primum citatur, 1. parte qu.12. art.13. qu. 13. art. 6. In 4. parte qu.92. artic. 1. In 2. sentent. distinct.9. q.1. artic.2. In quæst. disp. de potentia Dei q. 7. artic.5. quæst.9. artic.7. de virtut. q.1. art. 8.

Epistola ad Caium citatur 3. parte q. 92. artic.1.

Epistola ad Dorotheum 3. parte qu.92. artic.1.

Epistola ad Polycarpum in 2. sentent. distinct.13. q.1. artic.4.

Epistola ad Demophylum in 4. sentent.19. q.2. artic.2.

Ex quibus omnibus facilè constat Sanctum Dionysium accuratè cunctas totius Scholasticæ Theologiæ partes tradidisse; à quo totam ferè doctrinam suam veluti è purissimo, & limpidissimo fonte Angelicus Doctor hausit.

Imo si illa, quæ maximo Theologorum detrimento interciderunt, opera Dionysij extitissent, nullus præter eum in scholis author fuisset prælegendus, aut explicandus, vt sciitè annotauit Balthasar Corderius Societatis Iesu cap.3. Theologiæ mysticę. Nam in Theologicis informationibus, quas hipotiposes appellat, luculenter, & amplè diuinam naturam cum omnibus attributis essentialibus explicuit, & quidquid Scholastici fusissimis commentarijs de Deo Vno, & Trino, & diuinis processionibus, & personarum inter se oppositionibus, distinctionibusq;& earum in se inuicem circumincessione operosè disputant: quibus si ea, quæ de diuinis nominibus, cælestique Hierarchia, hoc est de Angelis, eorumque proprietatibus scripsit, adiunganrur, prima D. Thomæ pars luculentissimè à Dionysio ante descripta numerisque omnibus absoluta haberetur. Prima verò secundæ, vbi potissimum de actibus humanis, & eorumdem bonitate, ac malitia, virtisq; & peccatis agitur, magnum habet fundamentum in cap.4. de diuinis nominibus, vbi fusissimè Dionysius disputat de natura vanitatis, & malitiæ, cui tamen materiæ maiorem sine dubio lucem allaturi fuissent libri de anima, & de intellectualibus, & sensibilibus, qui temporum iniurijs interciderunt. Secunda quoque secundæ, vbi de iure, & iustitia disputatur, aliquod saltem habet fundamentum in cap.8. de diuinis nominibus, vbi agit de iustitia, maius sanè subsidium acceptura ex libro Dionysij, de iusto diuinoque iudicio, nisi similiter maximo Ecclesiæ damno perijsset.

Tertia denique pars, vbi agit de diuini Verbi incarnatione, similiter tota, vt testatur Dyonisius cap.3. mysticæ Theologiæ, fuit ab ipso accuratè pertractata in libro Theologicarum informationum, seu institutionum, in quo ait se scripsisse, *quomodo Iesus, qui erat supra substantiam, humana naturæ veritatem, substantiamque susceperit*. Tractatus autem de Sacramentis, quâ accuratissimè, distinctissimèque in Ecclesiastica Hierarchia videtur expositus.

CAPVT III.

De Methodo à Sancto Augustino obseruata in ordinanda Sacra Doctrina.

ETiamsi omnia D.Augustini opera fuerint sine vllo ordine conscripta, sed tantùm vbi, & quando opportuna se se offerebat occasio, vel fideles instruendi, vel hæreticos aliosque infideles confutandi; non deest tamen in illis methodus, qua Sacra doctrina debitè ordinari, singulæque eius materiæ ad certa, & præcipua capita reuocari possint: desumiturque ex libris quatuor de doctrina Christiana,

na, qui in tertio operum eius tomo reperiuntur.

Ibi igitur præclarissimum Ecclesiæ lumen, primum aduertit duas esse res, quibus nititur omnis tractatio scripturarum, scilicet modum inueniendi, quę intelligenda sunt, & modum proferendi, quæ inuenta sunt; de inueniendo, quod potissimum spectat ad præsens institutum, disserit in tribus primis libris, de proferendo autem, in quarto, & vltimo. Quoad primum, cum ex ipso omnis doctrina vel rerum sit, vel signorum, ita tamen, vt res per signa discantur, hinc etiam sacram doctrinam per illa duo disponit. Propriè res appellat, quæ non ad significandum aliquid adhibentur, sicuti est lignum, lapis, pecus, atque huiusmodi cætera. Sed non illud lignum quod in aquas amaras Moyſen proiecisse legimus, vt amaritudine carerent, Exodi 15. neque ille lapis, quem Iacob sibi ad caput posuerat Genes. 39. neque illud pecus, quod pro filio immolauit Abraham Geneseos 28. Hæ namque ita sunt, vt aliarum etiam signa sint rerum. Sunt autem signa, quorum omnis vsus in significando est, sicuti sunt verba. Nemo enim vtitur verbis, nisi aliquid significandi gratia. Ex quo intelligitur, quid Augustinus appellet signa, res eas videlicet, quæ ad significandum aliquid adhibentur. Quamobrem omne signum etiam res aliqua est. Quod enim nulla res est, omnino nihil est. Non autem omnis res etiam signum est. Et ideò in hac diuisione rerum, atque signorum, cum de rebus loquitur, ita loquitur, vt etiamsi earum aliquæ adhiberi ad significandum possunt, non impediant partitionem, qua prius de rebus, postea de signis differendum proposuit, considerando solùm in rebus quod sunt, non quod aliud etiam præter seipsas significant.

Rerum autem aliæ sunt, quibus fruendum est, aliæ quibus vtendum, aliæ quæ fruuntur, & vtuntur. Illæ quibus fruendum est, beatos nos faciunt; istis quibus vtendum est tendentes ad beatitudinem adiuuamur, & quasi adminiculamur, vt ad illas quæ nos beatos efficiunt peruenire, atque his inhęrere possimus. Nos verò, qui fruimur, & vtimur, inter vtrasque constituti, si eis quibus vtendum est frui voluerimus, impeditur cursus noster, & aliquando deflectitur, vt ab his rebus, quibus fruendum est obtinendis, vel retardemur, vel etiam reuocemur, inferiorum amore prępediti. Frui enim est amore alicui rei inhærere propter seipsam. Vti autem, quod in vsum venerit, ad id, quod amas obtinendum referre, si tamen amandum est. Nam vsus illicitus, abusus potius, vel abusio nominandus est.

Vt de præfatis rebus agit D. Augustinus nihil in eis aliud attendens, nisi quod sunt, non etiā si quid aliud præter se significant, ita vicissim de signis scribit, non considerans in eis quod sunt, sed potius quod signa sunt, id est quod significant. Signum enim est res, quæ præter speciem quam ingerit sensibus, aliud aliquid ex se facit in cogitationem venire. Cum autem signum ita in genere sumptum ad multa se extendat, disserit solùm Augustinus de illis quantùm ad homines attinet, siue quibus inter se homines sua sensa communicant, qualia sunt potissimum verba; quæ quia verberato aere statim transeunt, nec diutius manent quam sonant, instituta sunt per litteras signa verborum, atque ita voces oculis ostēduntur non per seipsas, sed per signa quædam sua. Indè lib. secundo, & tertio agit de Sacra doctrina, siue de diuinis scripturis, quantum ad diuersas affectiones, quas habent earum voces in significando clarè, vel obscurè, propriè, vel impropriè, siue metaphoricè.

Ex eodem Augustino alia partitione diuidi potest Sacra doctrina per ordinem ad credenda, speranda, & amanda. Tria enim hæc sunt, inquit lib. 1. de

de doctr. Christ. in fine, quibus & scientia omnis, & prophetia militat, fides, spes, & charitas.

CAPVT IV.

De Methodo quam S. Ioannes Damascenus in colligenda, & tradenda Sacra Doctrina tenuit.

SANctus Ioannes Damascenus natione; cognomento autem Chrysoras, & Mansur, qui sub Imp. Leone III. imaginum hoste floruit circa annum Domini 740. primum scripsit Parallellorum libros tres: quibus methodicè in vnum collegit, quicquid vel ad mores accommodatè, & sententiosè, vel ad mouendum appositè ad omnem causam, & argumentum, tam à veteri, quàm à nouo Sacrorum oraculorum instrumento sparsim dictũ repetiebatur, atque etiam à Sanctis, & diuinitus instinctis Patribus eius prædecessoribus: ita vt liber primus complecteretur ea, quæ ad res diuinas, ac fidem pertinebant; Secundus esset de rerum humanarum coagmentatione, ac statu; Tertius autem de virtutibus, ac vitijs. Quam tamen methodum postea mutauit, & vt lectores ea quæ quærerent, facilius inuenirent, singula capita non amplius doctrinali rerum, sed alphaberico litterarum ordine disposuit, iuxta litteram à qua incipiebant. Qua quidem in re, quantum Græcis consuluit Damascenus, tantùm interpretationi latinæ incommodi attulisse videtur. Nam cùm in ea series illa alphabetica obseruari nequeat (si quidem quæ apud Græcos ab vna littera incipiunt, ab altera in Latina translatione initium ducunt) hinc fit, vt & prioris ordinis commoditate careat, nec posterioris facilitatem consequatur.

Insuper idem Damascenus scripsit orthodoxæ fidei libros quatuor, quibus temporis rationem secutus, tam ex diuinis scripturis, quàm ex præcedentium Patrum operibus sacram doctrinam ordinauit.

In primo enim agit de Deo Vno, & Trino, *quem.* inquit, *diuinus ille Dauid his verbis alloquitur Psal. 68. A sæculo, & vsque in sæculum tu es*: in cæteris verò tractat de his, quæ Deus fecit in sæculo, vel tempore; videlicet in secundo libro differit de rebus omnibus creatis, secundum quod sunt effectus Dei integrantes hoc vniuersum, vndè solùm considerat in eis principalia genera, ex quibus vniuersum coalescit, qualia sunt spirituale, corporale, & ex his mixtum. Sub primo genere continetur natura Angelica, sub secundo omnia quæ processerunt à Deo in opere sex dierum, sub tertio natura humana. Deindè in tertio libro agitur de Diuina Incarnatione; cũ enim in superioris libri calce declarasset multiplicem morbum humani generis in quem incidit ex seductione dęmonis, & præuaricatione primorum parentum; hoc sequenti libro salutarem exprimit medicinam, exhibitam à Deo tam pernicioso, & latè serpenti morbo, per Incarnationis mysterium, passionis Christi acerbitatem. In quarto demum libro primùm habetur sermo de ijs, quæ Christi resurrectionem secuta sunt; postea de rebus ad fidem nostram pertinentibus, & in Sacra Scriptura contentis; tum de consummatione sæculi, mortuorumque resurrectione totum opus claudente.

Quod autem Damascenus lib. 4. de fide orthodoxa in fine, vocat ignem Inferni nõ materialem, qualis est apud nos, sed qualem nouit Deus, etsi Durandus in 4. sentent. liberè pronunciet, eum in hac parte malè sentientem errasse: Diuus tamen Thomas eius mentem benignè interpretatur, vt Damascenus intellexerit ignem inferni non esse materialem perindè ac nostrum, qui ab illo igne proprietatibus aliquot discernitur: vel cum non negasse inferni ignem materialem esse, quoad substantiam, sed quoad punitionis effectum:

fectum: punit enim spirituali quadam actione corpora, quæ nec dissoluit, nec consumit, & ipsas animas multò magis spiritualiter cruciat.

Quod item lib. 4. de fide cap. 10. dicitur: τῷ ἐλαίῳ βαπτίσματι παραλαμβάνεται: id est, *Oleum Baptismati succedit*. Oecolampadius autem vertit, *Oleum in Baptismate assumitur*; minimè admittendum est. In Codice enim Græco, non est, *in Baptismate*; & verbum Græcum παραλαμβάνω propriè dicitur de eo, quod assumitur vt alteri succedat. quemadmodum Sacramentū Confirmationis, cuius materia est oleum, Sacramento Baptismi succedit.

Damascenus quoque, vt rectè notarunt Bessarion, & Gennadius, non negauit Spiritum Sanctum procedere ex filio, quod ad rem pertinet, quando dixit Spiritum Sanctum esse imaginem filij, & per filium esse; sed existimauit, tutius dici per filium, quam à filio, quod attinet ad modum loquēdi, propter hæresim Macedonij, & Eunomij, qui ex filio, tanquam ex primaria, imò etiam sola causa processisse dicebant Spiritum Sanctum. Deindè libros suos de fide ante Concilij septimi tempus scripsit, in quo Concilio symbolum legitur cum hac additione, *filioque*, quam etiam expressisset, planiusq; de processione Spiritus Sancti à Patre, & Filio scripsisset, si eo tempore vixisset.

Cum audiuisset, ac credidisset Traiani Imperatoris animā Gregorij Magni precibus ex inferno liberatam fuisse, id quidem bona fide Vir Sanctus retulit in oratione de fidelibus defunctis, indeque acceptum Greci in suum Euchologium transtulerunt, vbi sic habetur, *Quemadmodum Traianum per intentam serui tui Gregorij Dialogi intercessionem flagro soluisti, exaudi etiam nos te orantes, non pro idolorum cultore, sed pro fideli seruo tuo, qui te propter imbecillitatem ad iracundiam prouocauit*. At commentum falsissimum fuit, quod putabatur esse historia; presertim si per liberationem ab inferno, intelligatur non purgatorium, sed verus infernus, qui damnatorum est locus subterraneus, in quo dæmones, hominesque impij, æternum cruciantur. De quo vide D. Thomam in 1. sentent. dist. 43. quæst. 2. & in 4. distinct. 45. quæst. 2.

CAPVT V.

De Methodo, quam in distinguendis Sacræ doctrinæ materijs, Petrus Lombardus adhibuit.

QVod Sanctus Ioannes Damascenus inter Græcos, idem præstitit inter Latinos circa annum Dñi 1160. sub Alexandro III. Summo Pontifice, Reuerendiss. Episcopus Parisien. Petrus Lombardus, vulgò dictus Magister per excellentiam; hic enim primus accuratiori methodo, seu collectione principia fidei, simul & conclusiones, additis probationibus, & solutis in contrarium obiectionibus, in vnū corpus redegit, continens ipsam originem totius Sholasticæ Theologiæ, quæ ex limpidis Sanctorum Patrum fontibus deriuata est ad nos; indeque textus Magistri summam sibi in scholis authoritatem vendicauit, adeo vt ab illo tempore, quo editus fuit, cæperit publicè legi, & varijs doctissimorum virorum commentarijs illustrari.

Sacram ergò doctrinam quatuor sententiarum libris explicandam, diuidit Magister imitatus Augustinum, in eam quæ rerum est, & eam quæ signorum. Res illas appellat, quæ ita existunt, & à natura sunt institutæ, vt ad aliquid significandum non adhibeantur; signa verò quorum vsus est in significando; differt tamen hæc partitio ab Augustiniana, quod Augustinus per signa intelligit verba, & voces quibus in diuinis scripturis Sacra exprimitur doctrina, Magister autem intelligit Sacramenta veteris, & noui testamenti; in quibus explicandis versatur quartus liber

ber ſententiarum vſque ad tractatum de reſurrectione. In rebus verò tres libri priores,& extrema pars quarti conſumuntur. Quia autem iuxta eiuſdem S. Auguſtini diuiſionem, quam tradit lib. 1. de doctrina chriſtina cap. 3. rerum aliæ ſunt, quibus eſt fruendũ vt Deus; aliæ, quibus vtendum, vt mundus; & aliæ,quæ fruuntur,& vtuntur vt homo, & Angelus. Hinc primo libro Magiſter agit de ea re, qua fruendum eſt, nimirum de Deo Vno, & Trino; initio ſecundi de rebus, quibus vtendum eſt, ſcilicet de creaturis non intellectualibus, tùm de creatura intellectuali Angelica, & humana,quæ ſola propriè loquendo poteſt vti, & frui rebus, poſtremò de libero arbitrio, gratia, virtutibus, & vitijs, per quæ homo benè, vel malè vtitur, aut fruitur rebus. Tertio demum libro tractat de myſterio redemptionis humanæ, per quam ſublato peccato, quod nihil aliud eſt, quã malus, ac peruerſus rerum vſus,peruerſaue fruitio, in eum homo reſtitutus eſt ſtatum, in quo voluntate correcta poſſit illis, quomodo oportet, vti & frui.

Primus itaque ſententiarum liber quadraginta, & octo diſtinctionibus agit de De Deo Vno, & Trino, in ſe, rebuſque ad illum pertinentibus. Secundus quadraginta quatuor diſtinctionibus contemplatur Deum, mundum ab æterno determinatum, in tempore creantem, ac producentem. Tertius quadraginta diſtinctionibus conſiderat Deum in plenitudine temporum incarnatum, redimentem homines à peccati captiuitate, & ad Deum illas reducentem. Quartus denique quinquaginta diſtinctionibus differit de Sacramentis, quibus tanquam ſupernaturalibus inſtrumentis virtus paſſionis Chriſti nobis applicatur, & de vltimo termino ad quem per illam peruenimus, gloria ſcilicet reſurrectionis, & immortalitatis. Quorum omnium cõpendioſam hic ſummam ſubijceremus, niſi textus ipſe Magiſtri omnibus vbique obuius eſſet, vndè aliqua tantùm notabimus, quæ in eo vel cautè legi, vel benignè explicari debent, vt inoffenſo pede decurratur.

In primo Libro.

PRimò, quod charitas, qua diligimus Deum, & proximum eſt Spiritus Sanctus, ſiue quod charitas, quæ eſt amor Dei, & proximi, non eſt aliquid creatum, diſt. 17. cap. 2. Quamuis enim loquendo in ſenſu cauſali ſit verum, quod gratia, & charitas ſit idem ac Spiritus Sanctus à quo diffunditur in cordibus noſtris; tamen loquendo in ſenſu formali, charitas eſt aliquid creatum realiter à Spiritu Sancto diſtinctum, tanquam effectus à ſua cauſa. Vndè ſi Magiſter in hoc ſenſu loco citato loquatur, meritò eius opinio reijcitur in ſcholis.

Sunt qui inter opiniones Magiſtri improbabiles adnumerant, quod aſſerat diſtinct. 21. & 24. ſimile, & æquale, nominaque numeralia Trinus, & Trinitas dici de Deo priuatiuè ſolùm. Verum cum eiuſmodi propoſitiones facile ad bonum ſenſum reduci poſſint, ſi quidem, prout eiuſmodi nomina diuerſimodè ſumi poſſunt, dicuntur de Deo vel poſitiuè, vel priuatiuè, non eſt cur in eo Magiſter reprehendi debeat.

Similiter configunt aliqui Magiſtrum, quod diſtinct. 44. doceat Deum ſemper poſſe quicquid aliquando potuit, ſicut omnia ſemper ſcit, quæ aliquandò ſciuit, & ſemper vult, quæ ſemel voluit: ſed hæc etiam doctrina poteſt ad legitimum ſenſum reuocari; intelligendo enim quod Deus ſemper poteſt quicquid aliquando potuit, attenta eius potentia, ſiue ex parte potentiæ, vera eſt propoſitio, falſa autem ſi ſumatur obiectiuè, ſiue ex parte obiecti, vt Magiſtrum explicat S. Thomas ibidem queſt. 1. art. 4. cuius titulus eſt, *Vtrum Deus poſſit facere omne quod olim potuit.*

In

In secundo Libro.

HAbetur distinct. 5. cap. *hic quæri solet*: quod Angeli non meruerunt beatitudinem per gratiam sibi datam: sed quod præmium præcessit meritum. Licet enim loquendo de præmio essentiali, possit in Angelis tale præmium præcedere meritum, quod vocant accidentale, attamen si sermo sit de illo per ordinem ad præmium essentiale, non potest tale præmium antecedere tale meritum; quandoquidem beatitudo essentialis habet ratione termini, meritum autem rationem viæ. Vndè in hoc sensu reijci debet opinio Magistri.

Secundò, quod Angeli in merito respectu præmij essentialis, atque adeò in ipso præmio proficiunt, vsque ad iudicium finale, distinct. 11. cap. *præterea illud*.

Tertiò, quod in veritatem naturæ humanæ nihil transit extrinsecum, sed quod ab Adam descendit per seminalem propagationem, auctum & multiplicatum resurget in iudicio, dist. 30. cap. vltimo.

In tertio libro.

DOcetur, quod anima à corpore separata sit persona, sicut Angelus distinct. 5. cap. *sic à quibusdam opponitur*. Vbi vide D. Thomam q. 3. art. 2. cuius titulus est, *Vtrum anima separata sit persona*.

Item distinct. 21. cap. vltimo, quod Christus cõuenienter dicitur mortuus, & non mortuus, passus, & non passus. De quo vide S. Thomam ibidem qu. 1. art. 3. ad 4.

Præterea, quod Christus in triduo mortis, quo iacuit in Sepulchro potuerit dici homo dist. 22. cap. 1. de quo etiam consule D. Thomam quæst. 1. artic. 1. vbi in terminis excitat hanc difficultatem, & reijcit opinionem Magistri saltem quoad modum loquendi.

In quarto libro.

PRimò habetur, quod Sacramenta legalia non iustificabant, etiamsi cum fide, & deuotione fierent dist. 1. de quo vide ibidem S. Thomam qu. 1. artic. 5. quæstiuncula 2.

Secundò, quod homo sine medio videbat Deum ante peccatum, eadem distinctione prima, cap. *triplici autem de causa*.

Tertiò, quod circumcisio non conferebat gratiam ad benè operandum, nec virtutes: sed solùm ad peccata dimittenda valebat; de quo consule D. Thomam eadem distinct. 1. quæst. 2. art. 4. quæstiunc. 3.

Quartò, quod paruuli in lege veteri ante octauum diem morientes incircumcisi peribant, & quod ingruente mortis necessitate poterant ante circumcidi, eadem distinct. 1. cap. *si vero*; vbi vide D. Thomam quæst. 2. artic. 6. quæstiunc. 2. qui explicat quomodo sola parentum fides valeret paruulis ad remissionem peccati originalis.

Quintò, quod aliqua nouæ legis Sacramenta instituta sunt in remedium tantùm, vt matrimonium, distinct. 2. cap. 1. de quo lege D. Thomam ibid. quæst. 1. art. 1. quæstiunc. 2. vbi explicat quomodo in lege noua, & sub statu gratiæ matrimonium illam confert, vt vnusquisque iuxta illud Apostoli 1. ad Thessalonic. cap. 4. possideat vas suum in honorem, & non in contumeliam.

Sextò, quod baptizati baptismo Ioannis, non ponentes spem in illo, sed eam vlteriùs ad Christum referentes, non erant baptizandi baptismo Christi; distinct. 2. cap. vlt. de quo vide S. Thomam ibid. quæst. 2. artic. 4. vbi inquirit, vtrum baptizati Ioannis baptismate, iterum baptizari debuerint, & tenet partem affirmatiuam ex D. Augustino homil. 5. super Ioannem.

Septimò, quod Sacerdotes excommunicati, vel de hæresi manifestè notati

tati non habeant poteſtatem conſecrandi corpus Chriſti, diſtinct.13.c.1. vbi conſule D.Thomam quæſt. 1 art.1. quæſtiunc. 3. & 3. parte quæſt. 82. artic. 7.

Octauò, quod à brutis animalibus corpus Chriſti non ſumatur, etſi videatur ſumi, diſtinct.13. cap. penult. de quo vide S.Thomam in expoſitione textus.

Nonò, quod ſcientia diſcernendi, vt notat habitum ſcientiæ ſit clauis, diſtinct.19. cap.1. vbi lege D. Thomam quæſt.1. art.1. quæſtiunc.3. ad 2.

Decimò, quod Epiſcopi Symoniaci degradati non poſſunt conferre ordines diſtinct. 25. cap. de Symon. vbi vide D. Thomam quæſt.1. art. 2. Vtrum hæretici, & ab Eccleſia præciſi poſſint ordines conferre.

Vndecimò, quod ſecundus maritus alicuius mulieris non cognitæ carnaliter à primo ſit bigamus per cognitionem illius, atque adeò prohiberi debeat ab ordinibus, diſtinct.27. cap.vlt. De quo ibidem conſule D. Thomam quæſt. 3. art. 1. quæſtiunc. 1. ad 3. & in expoſitione textus, vbi notat S. Doctor per decretum Innocentij abrogatum fuiſſe, quod ſolus conſenſus per verba de præſenti ſufficiat ad irregularitatem inducendam.

Duodecimò, quod cognoſcens carnaliter ſororem vxoris ſuę non tenetur vxori petenti debitum reddere diſt. 34. cap. de his: vbi vide S.Thomam qu.1. art.5. qui docet, virum quidem amittere ius petendi debitum, ſed tamen reddere debere vxori petenti, quia non debet puniri de peccato viri.

Decimo tertiò, quod ille qui vxore viuente duxit aliam in regione longinqua, quique rediens ad conſcientiam vult eam dimittere, & non poteſt, ſi cogitur ab Eccleſia remanere, & debitum reddere, quia ſibi non creditur; dicit Magiſter, quod incipit excuſari per obedientiam, & timorem, & tenetur reddere debitum ſi petatur diſtinct. 38. cap. vltimo, de quo vide D. Thom. ibid. quæſt. 2. art. 4.

Decimo quartò, quod peccata deleta non pateſiant alijs in iudicio; diſtinct.44. cap.hic quæritur vtrum electis, &c.

CAPVT VI.

De Methodo Ioannis Sapientis, cognomento Cyparriſſioti.

EOdem ferè tempore, quo Petrus Lombardus duodecimo videlicet ſęculo, floruit etiam ex Græcis inſignis Theologus Ioannes Sapiens, cognomento Cypariſſiotus, qui ſummam Theologicam de his, quæ à priſcis potiſſimum Patribus, ac Theologis Græcis dicuntur de Deo, ſcripſit; quam Franciſcus Turrianus Societatis Ieſu in Latinum vertit, ac ſcholijs, & annotationibus illuſtrauit, anno 1581. Romæ ex Typographia Dominici Baſæ, in 4.

Operis inſcriptio eſt: ἔκθεσις στοιχειώδης ῥήσεων θεολογικῶν: Latinè, *expoſitio materiaria, ſiue elementaris eorum, quæ de Deo à Theologis dicuntur*; cuius mox rationem. Diuiſio autem in decem Decades, vt agat.

I. Decas de Theologia Symbolica.

II. De Theologia demonſtratiua.

III. De Diuinis emanationibus.

IV. De informatione Diuini Nominis.

V. De proprietatibus diuinorum nominum.

VI. De apparitionibus diuini luminis.

VII. De diuina participatione.

VIII. De infinitate Dei in creaturis.

IX. De infinitate in Deo.

X. De diuina ſimplicitate.

At quia totum opus in præfatas decades ita generaliter diſtribuitur, vt inſuper vnaquæque componatur ex partibus ſuo ordine, quæ ſunt στοιχεῖα, id eſt, *elementa*, & materia ipſius decadis, ſicut litteræ ſyllabarum, idcircò rectè hæc

hæc methodus vocatur expositio στοιχειώδης, id eſt *elementaria*, vel etiam *materiaria*. Capite enim quarto de diuinis nominibus, vbi D. Dionyſius ἀρχὴν στοιχειώδη dicit, ibi vertit interpres vetus, *principium elementarium*, quod S.Thomas interpretatus eſt *materiale*. Noluit autem hic author inſcribere librum, *De expoſitione diuinorum nominum*, forſan ob ſuam erga Diuinum Dionyſium reuerentiam, qui librum ſuum de diuinis nominibus inſcripſit; cum alioqui vniuerſum hoc opus in decades artificioſè diſtinctum, in materia diuinis nominibus, quibus Theologi vſi ſunt, ſubiecta verſetur.

Quod pertinet iam ad huius operis vſum, multiplicem ex eo commoditatem percipere poſſunt Theologi.

Primò quidem ad eam omnem Sacræ doctrinæ partem intelligendam, vbi de Deo, & Dei nominibus, præſertim ex Dionyſij libris diſputatur, ſi tamen coniungantur ea, quæ Turrianus ex ſcholijs S. Maximi, Georgij Pachimeri, & S.Thomæ adiecit.

Secundo cum author plures in hoc libro inſeruerit authoritates Patrum eorum, qui cum doctrina Dionyſij Apoſtolici diſcipuli conſpirarunt, Iuſtini Martyris, Athanaſij, Gregorij Nazianzeni, Baſilij, Gregorij Nyſſeni, Epiphanii, Chryſoſtomi, Cyrilli Alexandrini, & alterius Cyrilli Hieroſolymitani, Germani Conſtantinopolitani, Sophronij Hieroſolymitani, & aliorum, facilè intelligi poteſt, quanta ſit eius vtilitas, ad Apoſtolicam ipſam reuelatarum à Deo rerum traditionem cognoſcendam, quam D.Dionyſius in argumento diuinorum nominum ſibi propoſuit.

Tertiò conducit ad ſciendum, quomodo tunc antiqui Theologi, & Patres Eccleſiæ de iſtis, quę deinceps à Theologis Scholaſticis ſubtiliùs diſputata ſunt, ſentiebant; & quibus verbis, ac verborum formis in eis vtebantur: cui toti rei (quod ad præſentem authorē pertinet) magnam afferre poſſunt lu-

cem, quæ Franciſcus Turrianus in ſuis ad eum Scholijs adnotauit.

CAPVT VII.

De Methodo ſeruata ab Angelico Doctore D. Thoma in diſponenda Sacra Doctrina, tribus Summæ Theologicæ partibus.

INter omnes Eccleſiæ Doctores, in ordinanda Sacra Doctrina, Diuum Thomam excelluiſſe, atque adeò iure meritò ſibi Doctoris Angelici nomen, ac titulum comparaſſe, nemini dubium eſſe poteſt, qui Summā Theologicam ab eo, circa annum Domini 1260. ſub Alexandro IV. vulgatam attentius perlegerit. Vnde Sacroſancta Romana Eccleſia, Magiſtra fidei, & veritatis, ad quam velut vniuerſalem eius regulam, pertinet approbatio doctrinarum, iam dudum Aquinatem non ſolùm quo ad inſignem Sanctitatē, verum etiam quoad doctrinam ſalubrem, toti terrarum orbi ſpeciali laude dignum haberi voluit: cuius rei multa poſſent hic adduci argumenta, ſed quia iam plures doctores illa protulere, ne actum agatur, ſufficiet illos indicare.

Primus eſt Venerabilis Pater Aegidius Columna Ordinis Eremitarum S. Auguſtini primùm Generalis Magiſter, & poſtea Archiepiſcopus Bituricenſis, S. Thomæ diſcipulus; qui attenta doctrinæ ipſius dignitate, & excellentia, conſcripſit defenſorium, ſeu correctorium corruptorij librorū eiuſdem S.Doctoris, cui aduerſus malignas detrahentium linguas appoſitè tribuit illud Iobi 6. *Quare detraxiſtis ſermonibus veritatis, cum è vobis nullus ſit, qui poſſit arguere me, ad increpandum tantùm eloquia concinnatis, & in ventum verba profertis.*

Circa annum Domini 1500. Sylueſter Prieras, natione Pedemontanus, Ordinis Prædicatorum, Magiſter

Sacri

Sacri Palatij, ac postea Prior Generalis, edidit etiam defensorium D. Thomæ, & conflatum ex operibus eius, quatuor voluminibus comprehensum.

Fr. Seraphinus Caponi à Porrecta, eiusdem Ordinis, Sacræque Theologiæ Magister, tomo primo elucidationum formalium Summæ D.Thomæ, in principio, septem probationes adducit in commendationem doctrinæ ipsius. Prima delumitur ex Bulla Canonizationis edita à Summo Pontifice Ioanne XXII. Secunda ex Bulla Vrbani V. ad Archiepiscopum Tholosanū, cuius in fine habentur hæc verba: *Volumus insuper, & tenore præsentium vobis iniungimus, vt dicti Beati Thomæ doctrinam, tanquam veridicam, & Catholicam sectemini: eamque studeatis totis viribus ampliare*. Tertia deducitur ex Conciliorum approbatione; quarta ex præconijs, quibus Vniuersitates Catholicæ, præsertim Parisiensis, D.Thomæ doctrinam extulerunt; quinta ex dicto Christi, *Benè scripsisti de me Thoma*: sexta ex testimonio perhibito à Beata Virgine Maria, Sanctisque Apostolis Petro, & Paulo: septima ex Bulla Pij V. qua refertur D. Thomas inter Ecclesiæ Doctores.

Collegium nostrum Complutense S.Cyrilli Fratrum Discalceatorum Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo cursui philosophico ab ipsis edito, præmittit quatuor illustria doctrinæ Diui Thomæ elogia. Primum continet laudem, approbationemque diuinam, nec non testimonium B. Virginis Mariæ, & SS. Apostolorum Petri, & Pauli, & D. Augustini. Secundum coalescit ex Summorum Pontificum testimoniis, & Conciliorum acclamationibus. Tertium ex Religionum Constitutionibus, & Vniuersitatū approbationibus. Quartum denique complectitur aliquot illustrium virorum testimonia.

Similiter in principio cursus Theologici Collegij Salmanticensis eiusdem Ordinis Fratrum Carmelitarum Discalceatorum, habetur pro Doctoris Angelici doctrinæ commendatione, ad eiusque amorem, & venerationem oratio exhortatoria; in qua quindecim paragraphis nobilitas doctrinæ Diui Thomæ colligitur, ab illustrissima eius prosapia, à gratia, & Sanctitate, ab ingenij præstantia, à veritatis splendore, ab inconcussa firmitate, ab antiquitate, antiquitatisque veneratione, ab eius pulchra varietate, & copia, ab eius indeficienti vnitate, & admirabili claritate, à styli, & methodi venustate, ab insigni, & vniuersali approbatione Academiarum, Religionum, Summorum Pontificum, Conciliorum, ac Cæli tandem.

Reuerendus etiam P. Fr. Magister Dominicus Grauina inclyti Prędicatorum Ordinis, libro quarto Catholicarum præscriptionum articulo 10. & sequentibus, explicando quantam authoritatem in Ecclesia Dei sibi vendicet doctrina Diui Thomæ, sequentes ponit conclusiones.

I. Quod Sancti Thomæ doctrina, magnam in Ecclesia obtineat authoritatem, vndè meritò Angelicus Doctor, & diuinæ voluntatis interpres est appellatus.

II. Calumniam Lutheri esse, quod Schola S.Thomæ, doctrinam eiusdem parem fecerit cum articulis fidei, vel, vt dixit quidam Anonymus, quod sit ab eadem Scriptoribus Canonicis æquiparata.

III. Quod Sanctus Thomas non sine conatu, vel conamine humano, sua ediderit scripta, quamuis donis gratiarum, quas dicunt gratis datas, secundum mensuram spiritus fuerit insigniter decoratus.

IV. Quod nunquam à Schola Diui Thomæ, suo doctori tantùm est attributum, vt cæteros Scholasticos, maximè Academiarum duces, ac principes sua authoritate spoliauerit.

V. Quod Sanctus Thomas author fuerit totius primæ secundæ, & secundæ secundæ suæ summæ Theologicæ, non autem Fr. Vincentius Belluacensis,

sis, vt ineptè opinati sunt aliqui, proniores ad detractionem, & reprehensionem, quam ad imitationem.

VI. Septem profert regulas ad dignoscendum, quibus Commentatoribus adhęrere debeat studiosus doctrinæ Thomisticæ, pro vera interpretatione,& intelligentia illius assequenda.

VII. Ostendit sapienter, & prudenter Academiam Salmantinam iurasse in verba SS. Augustini, & Thomæ.

Nouissimè Ioannes à S.Thoma eiusdem Sacri Prædicatorũ Ordinis Theologiæ Magister tomo primo in primam partem tractatu de approbatione, & authoritate doctrinæ angelicæ D. Thomæ, rectè ostendit eam speciali modo fuisse ab Ecclesia approbatam; primò ex acceptione traditionis illius historiæ, quæ testatur Crucifixum suo diuino ore scripta D. Thomæ commendasse, semel Parisijs in aliqua determinata materia circa Eucharistiam, & iterum Neapoli, indefinitè, & generaliter dicendo: *Benè scripsisti de me Thoma*. Secundò, ex oratione, quà vniuersalis Ecclesia vtitur in eius festiuitate, petendo à Deo sibi dari intelligentiam eorum, quæ ipse docuit. Quam autem solidum,& efficax argumentum de Ecclesiæ sensu, seu sententia ex eius orationibus deducatur, docet D. Augustinus epist.95. 107. & libro de bono perseuerantię cap.23. alijsque pluribus locis. Tertiò ex testimonijs Sedis Apostolicæ D. Thomæ doctrinam approbantibus. Quartò ex honoribus, & laudibus, quibus Sacrum Concilium Tridentinum eamdem doctrinam prosequutus fuit. Hinc præfatus author pro certitudine doctrinæ D. Thomæ duas sequentes colligit conclusiones. Prima, quod doctrina S.Thomæ nihil penitus contineat erroneum, vel indefensabile. Secunda, quod præfata approbatio, non solùm negatiuè accipienda sit, scilicet, quod nihil in doctrina D.Thomæ sit indefensabile, vel erroneum; sed etiam positiuè, quod habeat conditiones, & requisita, vt omnibus alijs præferatur in certitudine, vel probabilitate. Deindè ostendit, quem inter cæteros libros summa D. Thomæ locum dignitatis habere debeat, nec eum à Vincentio Belluacensi mutuasse primam secundæ,& secundam secundæ, vt asserunt aliqui, sed potius præfatum authorem speculum suum morale confecisse ex his, quæ D.Thomas posuit in 1. 2. & 2. 2. suæ summæ, eamque vidisse. Tandem, quia etiam ab alijs multæ propositiones obijciuntur D. Thomæ tanquam erroneæ, & indefensabiles, vel saltem dignæ, quæ deserantur, vt minus commodæ explicandæ fidei, & Theologiæ, diligenter illas expendit, & soluit. Tantùm de præcipuis locis, vndè pro commendatione doctrinæ Thomisticæ studiosi eius ad copiam sibi, & alijs satisfacere possunt; nunc veniamus ad explicandum methodum, quã in Summa Theologica ordinanda Sanctus Doctor obseruauit.

Post explicatam igitur in prima quęstione proœmiali naturam Sacræ doctrinæ, quæ habet pro obiecto Deum secundum ipsam rationem Deitatis in omni sua amplitudine; exindè iuxta triplicem Dei veluti in causando considerationem, scilicet vt primum principium effectiuum, vt vltimus finis, vel beatitudo finalizans, & vt Saluator reparans, distinguit D.Thomas totam Sacræ Theologiæ summã in tres partes principales. In quarum prima per 119. quæstiones,& 584. articulos, contemplatur Deum secundum se, & deindè vt causam efficientem creaturarum. Tractatus de Deo secundum se complectitur duo principalia; agitur enim primò de Deo quoad entitatem, & attributa absoluta siue in essendo, siue in operando, à quæstione secunda vsque ad vigesimam septimam; posteà verò de illo, quoad relatiua, seu Mysterium Trinitatis, à quæstione vigesima septima vsque ad quadragesimã quartam. Tractatus autem de Deo, vt causa efficiens est, continet tria, primùm

mùm ipsam productionem, & causalitatem Dei, tam quoad modum efficiendi per creationem, quàm quoad rationem causæ exemplaris, & finalis pro omni creatura generaliter, à quæstione 44. vsque ad 47. *Secundò*, ipsosmet effectus à Deo procedentes, quorum distinctionem, & varietatem sumit vniuersaliter primò penes bonum, & malum, hoc est, perfectum, & imperfectum, seu defectuosum: secundò penes spirituale, vt sunt Angeli, corporale, vt sunt corpora huius vniuersi in opere sex dierum facta, & ex his mixtum, vt est homo. De quibus omnibus tam quoad eorum naturam, vel essentiam, quàm quoad proprietates, & passiones, productionemque in esse, agitur à quæst. 47. vsque ad 103. *Tertiò* tandem gubernationem, qua Deus cōseruat creaturas, & agit in illas, siue per se immediatè mouendo, siue mediantibus alijs; cuiusmodi sunt Angeli, per quos illuminat alios, & docet, & corporalia regit; deindè corpora cælestia, quorum diuersis motibus ista inferiora generantur, & corrumpuntur; denique homines, qui tam per animam, quam per corpus possunt in alios agere. Et de tali gubernatione Dei tam mediata, quàm immediata tractatur à quæst. 103. vsque ad 119. quà prima Summæ Theologicæ pars feliciter absoluitur.

In secunda parte, quæ ob suam prolixitatem diuisa est in duas, quarum vna vocatur, prima secundæ, id est prima pars secundæ partis, & altera secunda secundæ, id est secunda pars secundæ partis; In hac, inquam, parte, cuius prima continet 114. quæstiones in 619 articulos diuisas, considerat primò D. Thomas Deum in finalizando, non ea tamen ratione, quà dicitur finis vniuersalis omnium creaturarum, de quo iam 1. p. q. 44. egerat; sed specialiter, nimirum, vt est finis assequibilis à creatura intellectuali per actus suos. Sic consideratio de Deo, vt vltimo fine à nobis assequibili, potest bipartiri; primò enim consideratur finis vltimus in se, qui est Deus, & de hoc discurrit D. Thomas, à quæst. 1. vsque ad 6. Secundò actus ipsi, quibus in talem finem tendimus, si sint boni, vel ab eo recedimus si sint mali. Quia autem eiusmodi actus possunt sumi dupliciter, vel in communi, vel in particulari, prius D. Thomas in prima secundæ agit de illis in communi, tàm secundum se, quàm quoad principia, à quibus eliciuntur, & diriguntur, à qu. 6. vsque 114. postea acturus de illis in speciali in secunda secundæ, secundùm diuersas virtutes, aut vitia ad quæ pertinent.

Itaque Secunda Secundæ tractat de actibus humanis in speciali per 189. quæstiones, & 917. articulos. Vt autem immensam illam, & amplam humanorum actuum materiam in ordinē redigeret D. Thomas, cōsiderauit quosdam actus humanos pertinere vniuersaliter ad omnes status hominis, cuiusmodi sunt virtutes, & illis opposita vitia: quosdam verò ad peculiares status, in quibus diuersa ministeria, seu officia exercentur. Sic ergò prius distinguit septem principales virtutes, ad quas etiam pertinent dona Spiritus Sancti ei correspondentia, sub quibus continentur aliæ minus principales. Ex his tres sunt virtutes Theologicæ Fides, Spes, & Charitas, de quibus, & de donis illis correspondentibus, vitijsque oppositis agitur à quæst. 1. vsque ad 47. Aliæ quatuor sunt Prudentia, Iustitia, Fortitudo, & Temperantia, Virtutes Cardinales dictæ, quod inter morales primatum teneant, & quod vnaquæque illarū in sua materia principaliorem modum obseruat, vel difficiliorem materiam vincit. Ad istas autem Virtutes Cardinales, rursus multæ aliæ virtutes reducuntur, quæ sunt quasi partes earum potentiales, hoc est virtutes minus principales, quia in alia materia minus difficili, aut ardua, modum alicuius dictarum virtutum Cardinalium in sua moralitate sequun-

quun-

quuntur. De quibus omnibus virtutibus, ac donis Spiritus Sancti illis correspondentibus, vitijsque oppositis agitur à quæst.47. vsque ad 171.

De statibus autem, seu spiritualibus ministerijs tractat S. Doctor Theologicè, non Politicè, idest, non secundum quod spectant ad gubernationem Reipublicæ ciuilis, sed secundùm quod in Ecclesiastico regimine inueniuntur, pertinentque ad corpus Ecclesiæ, & distinguuntur ab Apostolo 1. Corinth. cap.12. per tria genera, dum ait: *Diuisiones gratiarum sunt, & diuisiones ministrationum, & diuisiones operationum.* Etenim diuisiones gratiarum significant gratias gratis datas, quę non omnibus sunt communes, vt donum prophetiæ, linguarum, sermonis, miraculorum, seu operationis virtutum; & de istis agit à quæst. 171. vsque ad 179. post diuisiones gratiarum, sequuntur diuisiones operationum, quæ attenduntur secundum diuersas vitas, scilicet actiuam, & contemplatiuam, de quarum perfectione agit ad quæst 181 Denique diuisiones ministrationum pertinent ad diuersa officia, vel status, qui in Ecclesia possunt distingui. De officijs tamen, quatenus sunt officia, aut dignitates in Ecclesia nihil agit D.Thomas in præsenti; cum enim eiusmodi dignitates sint vel ordinis, vel iurisdictionis, si ordinis, agitur de illis in Sacramento Ordinis; si iurisdictionis, pertinet ad Iurisperitos tractare de illis, agitur enim in iure de officio Legati, Archidiaconi, & aliorum. Solùm ergò D.Thomas considerat in præsenti diuersos status, secundùm quod ordinantur ad Ecclesiæ perfectionem, qua ratione duplex tantùm est status, alter Episcoporum, qui dicitur status perfectionis acquisitæ, eo quod ex officio habent curam perficiēdi alios actiuè, & ideò supponuntur in se perfecti; alter Religiosorum, qui dicitur status perfectionis acquirendæ, eo quod ex statu suo tendunt ad comparandam sibi perfectionem, per professionem votorum suorum; & de istis statibus tàm in communi, quàm in particulari agitur à quæst.181. vsque ad quæst 189.

In tertia tandem parte, quæ continet 189. quæstiones, & 982. articulos vnà cum supplemento, D. Thomas contemplatur Deum, vt reparatorem defectuum nostrorũ per carnis assumptionem; cuius considerationem in quatuor principales tractatus distribuit. Primus est de ipsa Incarnatione secundum se, à quæst. 1. vsque ad 26. Secundus est de modo quo inter nos vixit, & conuersatum est Verbum Incarnatum, tam quoad ingressum eius in hunc mundum, nascendo ex Matre Virgine, quam quoad progressum in hoc mundo, conuersando cum hominibus, eosque suis actionibus, & sermonibus instruendo; & quoad egressum ex hac vita per passionem, & mortem operando salutem in medio terræ; & denique quoad regressum eius ad Patrem, à quo gloria, & honore coronatus, sedet ad dexteram eius inde venturus iudicare viuos, & mortuos: & de hoc agit à quæst.27. vsque ad 60. Tertius tractatus est de medijs, seu instrumentis, quibus ex meritis Christi gratia salutaris ad nos deriuatur; & hęc sunt Sacramenta, de quibus tam in communi, quàm in particulari agit à quæst. 60. vsque ad 90. in qua dum pœnitentiæ partes explicaret D.Thomas, immatura mors fluentem cęlestis eloquij fontem exsiccauit. Exindè verò suppletum est, quod deerat, ex ipsius lectura super 4. sentent. à quęst. 1. additionum vsque ad 69. Quartus denique tractatus est de termino ad quem per Christum, qui est via, veritas, & vita peruenimus, scilicet de ęterna, & perfecta beatitudine in resurrectione corporum, & gloria animæ. Et sic D. Thomas à Deo in se, & in essendo, per Deum ipsum efficientem, finalizantem, & saluantem, regreditur ad Deum, vt fruendum in se, quod est planè aureũ sacræ doctrinæ circulum cōplere. Tantùm

tùm de principalioribus, & generalioribus Summæ Theologicæ D. Thomæ diuiſionibus. de ordine enim, ac connexione, quæ inter vnamquamque quæſtionem ſeruatur, conſulendi ſunt eius interpretes.

CAPVT VIII.

Sacræ doctrinę partitio ſecundum vſum Catechiſmi.

INter alias Sacræ doctrinæ tradendæ methodos, primum veluti locum ratione temporis, vel inſtitutionis obtinet illa, qua ſecundum vſum Cathechiſmi ordinatur, vocarique poteſt Theologia Catechetica, ſiquidem Catecheſis, ſeu Catechiſmus, nihil eſt aliud, quàm doctrina de elementis Chriſtianæ Religionis, quæ olim viuæ vocis oraculo, ſiue miniſterio potiſſimumque interrogationibus, & reſponſionibus tradi ſolebat, vt primùm rudes, ac pueri ſacris myſterijs imbuerentur. Cum enim Sanctum dari canibus vetuiſſet Dominus, viſum eſt primis Chriſtianæ fidei magiſtris, non expedire, vt omnia eius myſteria ſcripto committerent, omnibuſque paſſim euulgarent, ſed conſultius iudicarunt, vt qui ſacris arcanis vellent imbui, viua voce inſtruerentur, eodemque modo ſacri ritus colendi Dei, atque doctrina ipſa Chriſtiana ad poſteros veluti per manus dimanarent; & lex Chriſti non tam atramento, vel calamo, quàm Spiritu Dei viui ſcriberetur, non in chartis, ſed in tabulis cordis carnalibus iuxta doctrinam Apoſtoli 2. Corinth. 3. ex Ieremiæ 31. vaticinio deſumptam, & Ezechielis cap. 11. & 36.

Ad hunc modum, qui in Eccleſia primitiua ad Baptiſmum admitti debebant, prius Fidei Chriſtianæ myſteria rudi, planoque ſermone ab Apoſtolis, & eorum diſcipulis audiebant, & huiuſmodi inſtitutionem Catecheſim, vel Catechiſmum appellabant; illi verò, qui eam recipiebant, cum nondum eſſent Sacris initiati, nec ad ſacra ſpectanda introducti (finita enim Scripturarum lectione, ac Euangelij expoſitione dimittebantur, nec ea videre, quæ in hoſtiæ ſalutaris oblatione fiebant, permittebantur) Catechumeni dicebantur. Qui etiam à Tertulliano lib. de pœnitent. vocantur *Audientes*, & in lib. de patient. *Diſcentes*, ab Auguſtino verò ſerm. 9. de tempore, & lib. 1. retract. cap. 17. *Competentes*; quod omnibus mentis ſuæ conatibus regenerationis gratiam ambirent. Qua obtenta pridie Paſchatis, & Pentecoſtes, ac in Orientali regione, in feſto quoque Epiphaniæ Domini, alba veſte induebantur, in typum quod exutis ignorantiæ ac peccatorum tenebris, innocentiæ, ac lucis caſta velamina induiſſent; nec amplius Catechumeni, ſed Neophyti, illuminati, initiati, filij adoptionis, ſanctificati, fratres, diſcipuli, fideles, oues, Chriſtianique nuncupabantur. Qui autem fidei Chriſtianæ doctrinam illis tradebant Catechiſtæ doctoris, ac magiſtri nomen obtinebant, vt ex Apoſtolo ad Galatas 6. & Euſebio lib. 6. Hiſtor. cap. 3. alijſque conſtat.

Hanc inſtitutionem Apoſtolus Hebræor. 5. & 6. 1. Corinth. 3. lacti cōparat, quo fouentur paruuli, eam ſecernens à ſolido cibo, quo paſcuntur viri: eſt enim lac iuxta Auguſtinum tract. 98. in Ioannem, doctrina rerum ſacrarum ita propoſita, vt audiens ſimplici fide credat, ſolidus autem cibus eſt ſermo doctrinæ, quo agitur, vt auditor non ſolùm credat, verùm etiam vt ea quæ proponuntur intelligat. Eadem igitur fidei myſteria diuerſo modo propoſita lac ſunt, & ſolidus cibus; ac proindè doctrina Catechiſmo comprehenſa, non ſolùm rectè Catechumenis, ſed inſuper Baptiſmi Sacramento regeneratis vtiliſſimè proponitur, vt quod fide ſimplici credendum acceperunt, etiam Domino reuelante intelligere, ſimulque aduerſus hæreticorum inſidias tueri valeant. Quo quidem

fine

fiue Clemens Alexandrinus edidit Pedagogi libros tres, D. Ambrosius librum vnum de ijs, qui Mysterijs initiantur; D. Augustinus librum vnum de fide, & symbolo, & alterum de catechizandis rudibus; S. Cyrillus Hierosolymitanus Catecheses; quos deinceps imitati plures moderni varios Cathechismos, siue doctrinæ Christianæ libellos, ac summas composuere, in quibus tamen nō eamdem omnes formam, ac methodum obseruauerunt.

Aliqui enim diuiserunt illas in duas partes principales, quod summa totius doctrinæ christianæ duabus etiam rebus potissimum contineatur, scilicet sapientia, & iustitia Christiana, iuxta illud Ecclesiastici 1. *Fili concupiscens sapientiam, conserua iustitiam, & Deus præbebit illam tibi*. Ad sapientiam pertinent capita de fide, & eius symbolo, de spe, & oratione Dominica, hęc enim virtus exercetur precatione potissimū, cuius perfectissimum exemplar est oratio Dominica, item de Charitate, & præceptis Decalogi, quibus accedunt præcepta Ecclesiæ, & tractatio de Sacramentis. Nam fides, spes, & charitas illæ virtutes sunt, ex Augustino in Enchirid. cap. 2. & 3. quibus veram hominis sapientiam diuina scriptura concludit. Ad alteram verò partem, quæ circa iustitiam versatur, referuntur omnia, quæ tum ad mala fugienda, tum ad bona consectanda docentur. Sic enim monet Augustinus lib. de fide & symbolo, cathechizandos esse homines, vt non solùm audiant quid credere, verum etiam qualiter viuere debeant, quid agere, quid vitare, quibus legibus vitam dirigere oporteat: nam conuersatio Deo grata non minus requirit vitam bonam, quam fidem rectam, affectum purgatum, quam intellectum illuminatum, sicut enim opera sine vera fide mortua sunt, ita & fides sine bonis operibus.

Alij Theologiam Catecheticam in quatuor hęc capita distribuunt, videlicet in symbolum Apostolorum, Sacramenta, Decalogum, & Dominicam orationem; ad quæ vniuersa Sacra doctrina summatim referri videtur. Nam omnia, quæ Christianę fidei disciplina tenenda sunt, siue ad Dei cognitionem, siue ad mundi creationem, & gubernationem, siue ad humani generis redemptionem spectant, siue ad bonorum prēmia, & malorum pœnas pertinent, symboli doctrina continentur. Quæ autem signa sunt, & tanquam instrumenta ad diuinam gratiam consequendam, hęc septem Sacramentorum doctrina complectitur. Iam verò, quæ ad leges referuntur, quorum finis est charitas, Decalogo descripta sunt. Quidquid denique ab hominibus optari, sperari, ac salutariter peti possit, id Dominica oratione comprehenditur. Alio etiam ordine prēfata quatuor capita ab aliquibus disponuntur, vt primo loco sit symbolum fidei; secundo, Oratio Dominica; tertio, decem prēcepta Decalogi; quarto, septem Sacramenta. Cuius ordinis, vel diuisionis ratio ex eo peti posse videtur, quod, cum sint tres virtutes Theologicæ, fides, spes, & charitas, ad fidem pertinet symbolum, ad spem oratio Dominica, vel quia hæc virtus precatione maximè exercetur, cuius, vt statim diximus, perfectissimū est exemplar oratio Dominica, vel quia in ea quid potissimum sperare debeamus, & à quo, instruimur; ad Charitatem denique referuntur decem prēcepta Decalogi, & alia iustitiæ Christianæ opera; duæ enim charitatis partes, videlicet dilectio Dei, & proximi, sicut sui ipsius, prēceptorum tum diuinorum, tum Ecclesiasticorum obseruatione, ac bonorum operum exercitio se se foris ostēdunt; & veluti è tenebris in lucem prodeunt. Sacramenta autem sunt necessaria, quia sunt instrumenta, quibus gratia, & virtutes comparantur, comparatæ, & insitæ confirmantur, augentur, & perficiuntur.

De

De Symbolo Fidei.

SYmbolum fidei, quod continet duodecim articulos, secundum numerum duodecim Apostolorum, qui illud composuerunt, vt supra lib. 3 sect. 2. diximus agendo de sacris traditionibus, tres habet partes principales. In prima vnico articulo primo contenta, describitur prima diuinæ naturæ persona, & mirabile creationis opus. In secunda per sex articulos sequentes, agitur de secunda diuinæ naturæ persona, & humanæ redemptionis mysterio: in tertia autem de Spiritu Sancto, qui per appropriatione dicitur fons, & caput omnis Sanctitatis, per quam Ecclesia, peccatorum remissione accepta, Sancta redditur, & gloriosam deinceps carnis resurrectionem, vitamque æternam citò expectat.

De Symbolo fidei scripserunt ex antiquis S. Cyrillus in Catechesibus; S. Ioannes Chrisostomus to. 5. S. Hieronymus, seu alter tom. 9. epist. 17. S. Augustinus tom. 3. & tom. 9. & to. 10. serm. 119. 123. 131. & 192. de tempore: & serm. 42. 47. 59 & 75. de diuersis; Eusebius Emyssenus; S. Cyprianus, S. Petrus Chrysologus ser. 46. vsque ad 62. Maximus Taurinensis homil. 1. de diuersis; Venantius Fortunatus in Biblioth. Patr. S. Paschasius ibidem; S. Thomas 2. 2. & opusc. 6.

De Oratione Dominica.

ORatio Dominica continet vnam præfatiunculam, *Pater noster, qui es in Cælis*, & septem petitiones, quibus totum quod à Deo postulari, & sperari potest continetur. Primis enim quatuor bona precamur, 1. diuinæ maiestatis gloriam, & honorem; 2. summum nostrum bonum; 3. gratiam illud acquirrendi per obedientiam Deo debitam; 4. modum habendi, & conseruandi gratiam per corporis animæque sustentationem. Reliquis tribus petitionibus mala à nobis auertimus, præterita, hoc est peccata; præsentia tentationes nimirum ad malum pertrahentes; & futura, id est futuræ vitæ calamitates. Huic orationi vt subnectatur Angelica Deiparæ Mariæ Virginis salutatio, longo iam Christianorum vsu receptum est.

De Oratione Dominica, & eius expositione scripserunt ex antiquis Tertullianus, Cyprianus, Gregorius Nyssenus, Cyrillus Hierosolymitanus catechesi 5. S. Ioannes Chrisostomus tom. 5. D. Augustinus tom. 10. serm. fragment. 1. & serm. 182. de tempore, & serm. 6. de diuersis; item serm. 9. 34. & 48. de diuersis ad Catechumenos: item serm. 126. & 135. de tempore, & homilia 40. & 42. Petrus Chrisologus serm. 67. vsque ad 72. Theophilactus, Euthymius in Matthæum, Petrus Laudicensis Episcopus Biblioth. Patrum, S. Germanus ibidem, Venanrius Fortunatus ibid. S. Thomas in Compend. Theolog. part. 2. & opusc. 7.

De Diuinis Præceptis.

EX diuinis præceptis, præcipua sunt naturæ duo; primum Matthæi 7. 12. *Omnia ergo quæcumque vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis*; secundum Tobiæ 4. 16. *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquãdo alteri facias.*

Decalogi decem, Exodi 20. Leuitici 26. Deuteron. 5. quæ bifariam diuiduntur; tria enim ex his ad Deum pertinent, & priori tabula continentur, docentque quomodo erga Deum corde, verbo, & opere effici debeamus; reliqua verò septem ad proximum, & ad posteriorem tabulam spectant, præscribuntque ne damnum proximo inferamus, aut in persona, aut in honore, aut in bonis, corde, verbo, & opere.

De

De iustitia Christiana.

AD priorem iustitiæ Christianæ partem, quæ in declinando à malo sita est, pertinet tractatus de peccatis. Peccatum autem duplex est, communis originis, & propriæ actionis; rursum peccatum propriæ actionis diuiditur, in proprium, quod à nobis committitur cogitatione, verbo, opere, omissione, nasciturque ex ignorantia, infirmitate, & malitia; & in alienum, quod nobis imputatur nouem modis, consilio, iussu, consensu, irritatione, assentatione, reticentia, conniuentia, participatione, iniqua defensione. Insuper peccatum propriæ actionis, aliud est veniale tantum, aliud verò mortale ex genere suo; cuiusmodi sunt capitalia septem; Superbia Colofs. 3. Auaritia 2. Corinth. 9. Luxuria Act. 24. Inuidia 1. Corinth. 13. Gula Ecclesiastici 31. Iracundia Hebræor. 10. Acedia 1. Corinth. 15. In Spiritum Sanctum sex, Præsumptio de misericordia Dei, vel impunitate peccati; Desperatio; Cognitæ veritatis impugnatio; Fraternæ charitatis inuidentia; Obstinatio in malo; Obfirmatus pœnitentiæ contemptus. Clamantia in Cælum quatuor: Homicidium voluntarium Genes. 4. Peccatum sodomiticum Genes. 18. Oppressio pauperum, viduarum, & pupillorum Exodi 22. Merced's operariorum iniqua retentio, Deuter. 24. Iacob. 5.

Ad alteram iustitiæ partem, quæ in bonis faciendis, aut consectandis posita est, pertinenr primò virtutes, quarum, quemadmodum eis contrariorum peccatorum, variæ sunt differentiæ, & species. Præcipuæ, & christianæ religionis tyroni scitu maximè necessariæ, sequenti diuisione comprehenduntur. Tres videlicet Theologicæ, Fides, Spes, Charitas. Quatuor Cardinales, Prudentia, Iustitia, Fortitudo, Temperantia. Septem capitalibus vitijs contrariæ, Humilitas, Liberalitas, Castitas, Charitas, Temperantia, Mansuetudo, Pia sedulitas. Tres Consilij Euangelici, seu ad Christianæ vitæ perfectionem spectantes, videlicet, Paupertas voluntaria, Castitas perpetua, Religiosa obedientia, quæ propter Deum voto interposito homini defertur. Tres denique iuuentutem maximè decentes, Verecundia, Taciturnitas, Obedientia erga illos à iuuenibus seruanda, quibus sui cura est commissa.

Huc quoque pertinent tria bonorũ operum genera; Precatio, Ieiunium, Eleemosyna, quæ est bipartita, Corporalis, & Spiritalis. Eleemosyna corporalis est septuplex Matt. 25. & Iob. 12. Esurientes pascere, Sitientibus potum dare, Nudos operire, Captiuos redimere, Aegrotos visitare, Peregrinos hospitio excipere, Mortuos sepelire. Spiritalis quoque est septuplex, Peccantes corrigere, Matth. 18. Ignorantes docere, Ecclesiast. 18. Dubitantibus rectè consulere, Prouerb. 27. Pro salute proximi orare, Matth. 5. Consolari mœstos, Ecclesiast. 7. & 2. Corinth. 1. Improborum iniurias ferre patienter. Roman. 15. Tit. 3. & 1. Thessal. 5. Aliorum offensam remittere, Matt. 5. Marc. 11.

Eodem etiam spectat duplex meditatio proprię conditionis, cuius sunt quinque partes, Cur creatus sum, Quid sum, Vbi sum, Vndè venio, Quò vado. Et quatuor nouissimorum, quæ sunt Ecclesiastici 7. Mors, Iudicium extremum, Inferi, Gloria cœlestis, seu beatitudo æterna.

Septem dona Spiritus Sancti, Isa. 11. Sapientia, Intellectus, Consilium, Fortitudo, Scientia, Pietas, Timor Dei. Duodecim fructus Spiritus Sancti, qui opera carnis destruunt, ad Galath. 5. Charitas, Gaudium, Pax, Patientia, Longanimitas, Bonitas, Benignitas, Mansuetudo, Fides in proximum, Modestia, Continentia, Castitas. Et tandem octo Beatitudinum, seu potius Beatorum genera, quę apud Matthęum cap. 5. his verbis recensentur. Beati paupe-

pauperes spiritu, quoniam ipsorum est Regnum Cęlorum. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Beati qui persecutionē patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est Regnum Coelorum.

De Sacramentis.

VLtimo loco sunt septem Sacramenta in Euangelica lege à Christo Saluatore nostro instituta, nimirum, Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pęnitentia, Extrema Vnctio, Ordo, Matrimonium.

Baptismus est nouæ legis primum Sacramentum, in ablutione corporis exteriore, & legitima verborum pronuntiatione, secundum Christi institutionem consistens: quod tam paruulis, quam adultis ad salutem est necessarium. Hoc Sacramento plena peccatorum accepta remissione, spiritaliter regeneramur in nouam creaturam, & qui antea eramus filij irę, tunc filij Dei, hæredesque, Christi autem nostri Redemptoris cohæredes efficimur.

Confirmatio, Sacramentum est, quod baptizatis ab Episcopo confertur in fronte, per Sacrum Chrisma, adhibita certa verborum forma. Hæc fidem corroborat, & homini Christiano ad nomen Domini, quandocunque opus est, intrepidè profitendum animum addit.

Eucharistia, est Sacramentum, in quo postquam Sacerdos, secundum Ecclesiæ ritum ordinatus, panem, & vinum verbis à Christo traditis consecrauit, verè & secundum substantiam suam totus Christus sub vtrauis specie continetur, pane in corpus eius, & vino in sanguinem, diuina virtute transmutatis. Per Eucharistiam hominis Christiani animus, salutari veri corporis, & sanguinis Dominici reficitur alimento, Deoque gratum offertur Sacrificium.

Poenitentia, Sacramentum est, in quo per Sacerdotis absolutionem peccata post baptismum commissa Christiano illa detestanti, ritèque confitenti remittuntur. Cuius tres sunt partes Contritio, Confessio, Satisfactio, quæ fit corde, ore, opere.

Extrema vnctio, est Sacramentum, quo per Oleum Sacrum, & certas preces recreantur ægrotantes; animi malis, si quæ in ijs reliqua sunt, sublatis, & interdum etiam corporis sanitate restituta.

Ordo, est Sacramentum, quo ad Dei cultum, ministri Ecclesiæ consecrantur. Per hoc enim Sacramentū, velut ostiū, necessarium est intrare legitimos dispensatores mysteriorum, & eloquiorum Dei, nimirum, Episcopos, Presbyteros, Diaconos, & quotquot in sacris muneribus ritè, & secundum ordinationem diuinam versari volunt.

Matrimonium, est Sacramentum, indiuidua vitæ consuetudine marem, & fæminam legitimè inter se deuinciens, ijsdemque gratiæ donum elargiens, quo frenato concupiscentiæ impetu, genus humanum laudabiliter, & sanctè conseruatur, atque propagatur.

Tantùm de Theologia Catechetica, siue de partitione Sacræ doctrinæ, iuxta vsum, & ordinem Catechismi, de cuius docendi necessitate, atque vtilitate, rationeque illum tradendi, vide Antonium Possevinum lib. 4. Bibliothecæ Selectæ. Præter Cathechismū Romanum, ex Pij V. & Concilij Tridentini decreto editum, Petrus Canisius, Robertus Cardinalis Bellarminus, Iacobus Bayus, Ioannes Chapeauillus, Ludouicus Carbo, Georgius Ederus, Iacobus Marcantius, alijq; plures moderni diuersos Catechismos, aut libellos ad Catechismum pertinenētes scripserunt. Quia autem ex Catechismo Romano iussu Pij V. edito, è S. Caroli opera

opera promulgato, aliqua interdum proferuntur testimonia, ad alicuius sententiæ Theologicæ probationem, notandum est, illa non esse infallibilis semper authoritatis, nec omne quod aduersatur sententiæ in præfato Catechismo repositæ, improbabile penitus esse; si quidem in illo non apponitur peculiaris approbatio Pontificia, quæ talem illi firmitatem tribuat; sed solùm iussu Pij V. fuit editus. Vndè Cardinalis de Lugo disp. 4. de Eucharistia num. 59. cum obiecisset authoritatem Catechismi Romani *de Sacra Euchar.* docentis aquam immixtam calici conuerti in vinum ante consecrationem, respondet Theologos, qui Catechismum confecerunt fuisse in tali sententia; imò cum nec ibi distinguant benedictionem Christi Domini à consecratione iuxta S. Thomam 3. p. q. 78. artic. 1. iam hæc sententia ab omnibus fermè reijcitur, vt videre est apud Vasquez 3. p. disput. 196. cap. 1.

CAPVT IX.

Alia Sacræ doctrinæ partitio in Speculatiuam, Practicam, & Pareneticam.

ETsi Practicum, & Speculatiuum non dicant in Sacra doctrina, vel Theologia duos habitus partiales, sed vnum simplicem, qui ratione suæ vltimæ differentiæ, & essentialis perfectionis, tàm ad materias speculabiles, quàm ad materias operabiles se extendit, vt diximus lib. 1. sect. 2. c. 6. quia tamen non omnes actus, vel materiæ illius simul sunt speculabiles, & operabiles, sed quæstionum Theologicarum circa illos versantium, duo sunt genera, alterum cognitionis, alterum actionis, indè ratione illarum rectè Sacra doctrina diuiditur in Speculatiuã, & Practicam. Ad primum diuisionis membrum pertinent omnes illæ quæstiones, quæ cognitionis dicuntur, siue quarum finis est scientia, ad alteram verò, quæ actionis, siue quarum finis est opus; vndè etiam hæc pars Theologia Moralis, siue de Casibus Conscientiæ vocatur; cuius potissimum ordinandæ, & tradendæ, reperiuntur innumeræ propè doctorum Methodi.

Aliqui enim Casuum conscientiæ summas per ordinem Alphabeti scripserunt; quæ methodus licet ad faciliorem rerum, aut materiarum inuentionem apprimè conducat; ab illa tamen, qui Theologiæ morali primam operam daturi essent, minus vtiliter inchoarent; id enim nec scientiam vllam pareret solidam, & in varias partes distraheret animos.

Alij secuti ordinem, quem tenuit D. Thomas in secunda parte Summæ Theologicæ, & in tertia de Sacramentis, Theologiam moralem, methodo numeris omnibus absoluta tradidisse videntur; agendo primum de ipso fine hominis, vt homo est, deindè de actibus humanis, siue moralibus, tàm in communi, quantùm ad eorum principia intrinseca, & extrinseca, quàm in particulari, quantùm ad materias in specie, circa quas versantur præfati actus, vel vnaquæque virtus in specie, & vitium illi oppositum; tum denique de Sacramentis, multa etiam in illa materia, non solùm ad Theoriam, sed etiam ad praxim, virtutumque exercitium pertinent.

Attendentes alij, quod decem præcepta Decalogi, sunt prima veluti principia Theologiæ moralis, per ordinem ad illa, eam quoque distribuerunt. Sub primo enim præcepto, prout est affirmatiuum, continentur vt materia propria virtutes Theologicæ, item actus virtutis religionis tàm interni, quibus singulari animi submissione infinitam Dei excellentiam veneramur, quàm externi, quibus internos testamur, vt oratio, sacrificium, votum, &c. Prout verò est negatiuum, prohibet vitia Religioni opposita: sunt autem duplicia: alia, quæ opponuntur per excessum, vt superstitio cum suis speciebus;

alia per defectum, vt irreligiositas cum suis: quæ si tendit directè ad irreuerentiam Dei, est tentatio Dei, aut periurium; si autem tendit solùm ad irreuerentiam rerum sacrarum, est sacrilegium, aut simonia. De voto tamen, sicut & de periurio, solet agi sub secundo præcepto, quatenus prohibetur per illud omnis inordinata vsurpatio nominis Dei, qualis potissimum fit blasphemando, temerè iurando, vouendo, & non seruando promissa vota. Sub tertio tractatur de obseruatione festorum; hoc enim præceptum, quatenus vult tempus aliquod sanctificari, siue impendi cultui diuino, est naturale, & adhuc obligat. Licet, quatenus tempus id designatur dies sabbathinus, sit ceremoniale, & in nouo testamento abrogatum, ac pro eo ab Ecclesia designatos dies Dominicus, & festi; præscriptusque modus colendi, vt quædam opera illis diebus fiant, quædam non.

Sub quarto præcepto, *Honora Patrem, &c.* quia vi illius non solùm liberi parentibus, sed etiam inferiores superioribus tenentur, in ijs rebus, in quibus, & quamdiu subiecti ijs sunt, amorem, reuerentiam, & obedientiam præstare; ideò solet agi, de obligatione liberorum erga parentes, & parentum erga liberos, item tutorum, & curatorum, qui parentum sunt loco; de obligatione dominorum, & famulorum, aliorumque Superiorum, & inferiorum erga se inuicem; Coniugum erga se mutuo; Parochorum erga suos; Præceptorum, & discipulorum, aliorumque similium. Sub quinto, quo prohibetur hominis occisio, mutilatio, verberatio, aliaque similis afflictio iniusta, agitur de homicidio, & omnibus rebus ad illud pertinentibus. Sub sexto, de peccato luxuriæ, & omnibus eius speciebus; etsi enim in hoc præcepto, adulterium specialiter prohibeatur, quia præter turpidinem, quæ ipsi cum alijs peccatis carnalibus, & luxuriæ speciebus, communis est, iniustitiæ quoque peccatum in proximũ, & in ciuilem societatem adiunctum habet, sub illo tamen comprehenduntur omnia peccata impudicitiæ, & luxurię. Circa septimum, quo prohibetur omnis iniusta damnificatio in bonis proximi, quæ fit 1. per furtum, & rapinã. 2. per omissionem reparationis damni illati; de illis agitur; & quia per iniquitatem contractuum magna etiam damna proximo plerumque inferuntur, ideo etiam hic solet tractari ampla contractuum materia.

Circa octauum, quo prohibetur omnis iniusta læsio famæ, & honoris proximi; ac præcipuè omnis falsitas, & mendacium, ac læsio verbalis, quæ fit, tùm in iudicio, falsò accusando, vel verum celando; tum etiam extra perniciosè mentiendo, secreta reuelando, ac denique detrahendo, de omnibus illis agitur. Circa nonum, & decimum, quo vetantur omnes internæ concupiscentiæ, & delectationes voluntariæ, illorum operum, quæ præsertim præceptis sexto, & septimo interdicuntur, si ibi de illis actum non est, hic solet haberi sermo.

Quantùm ad Ecclesiæ præcepta, etsi ea sint plurima, quia tamen quinque solùm toti Christiano populo communia numerantur; ex quibus primum de celebrandis diebus festis, secundum de audienda in illis diebus missa: quartum de annua confessione, & quintum de Eucharistia sumenda, quia facilè ad primum, & secundum Decalogi præceptum reducuntur, ideò de tertio solùm, quo certis anni diebus præcipitur abstinentia ab esu carnium, & ieiunium, solent agere doctores, vbi simul de præceptis Decalogi, & Ecclesiæ scribunt: quamuis etiam rectè possit separatim de illis sermo haberi: præsertim si quis prius agere vellet de auctoritate Ecclesiæ in ferendis legibus; sicut etiam præceptis Decalogi præmitti posset tractatus de lege æterna, & naturali.

Alij autem considerantes, quod Ca-

sus

sus Conscientiæ, de quibus potissimum agit Theologia Moralis, vel Practica Christiana, nihil aliud sunt, quàm variæ factorum species, de quibus in foro conscientię Iudex Sacerdos sententiam edicat oportet, atque vel vt honesta approbet, vel vt turpia condemnet; indè sub titulo nunc Enchiridij, nunc Directorij, nunc Speculi, nunc Praxis, nunc Institutionis, nunc Instructionis Sacerdotum, vel Confessariorum, suas casuum conscientiæ summas ediderunt, ostendendo quod sit officium, & obligatio Confessariorum, primùm quoad bonitatem, deindè quoad scientiam, vbi discurritur de omnibus materijs ad Theologiam moralem spectantibus.

Tandem, quia finis cuius gratia, siue finis qui Theologiæ moralis Christianę ita est Deus clarè visus, per actus humanos, & morales debitis conditionibus præditos assequibilis, vt etiam finis cui, siue subiectum, cui perficiendo incumbit, cuique semel perfecto debetur clara Dei visio, sit ipse homo, secundum varios quos habere potest status, vbi per status intelliguntur, certæ hominis qualitates, ac conditiones per quas obligatur ad aliquid singulariter, ac propriè, vt suum finem vltimum consequatur, ideò secundum præfatorum statuum numerum, ac varietatem, composuerunt aliqui varias etiam institutiones morales. Huiusmodi autem statuum hominum diuisio primum fieri potest in Ecclesiasticum, & sæcularem, siue laicum statum; Rursus Ecclesiasticus diuidi potest in *Gubernantem*, sub quo Pontifex Maximus, Cardinalis, Patriarcha, Primas, Archiepiscopus, Episcopus, Decanus, Præpositus, Archidiaconus, Archypresbyter, Vicarius, Consiliarius; In *Ministrantem*, sub quo Parochus, Sacerdos, Diaconus, Subdiaconus, Acolytus, Exorcista, Lector, Ostiarius, Canonicus, Oeconomus; In *Supererogantem*, sub quo Religiosus, continens vidua; & in *Iuuantem*, sub quo Doctor Theologiæ, Prædicator, Disputator, Doctor Iuris Canonici, Cathechismi, Scholasticus Ecclesiasticus; Similiter status secularis, siue laicus distribui potest in *Gubernantem*, sub quo Imperator, Rex, Princeps, Respublica, Consul, Iudex, Consiliarius, Vicarius, Paterfamilias; In *Ministrantem* sub quo Miles, Notarius, Tabellio, Testis, Aduocatus, Curialis, siue Aulicus; In *Iuuantem*, sub quo Quęstor, siue Thesaurarius, Coniugatus: & ratione vitæ conseruandæ Medicus, Chirurgus, Agricola, Mercator, Nauta, Venator, Artifex quicumque: In *Docentem*, sub quo doctor Philosophię, Iuris Ciuilis, Rethoricę, & aliarum facultatum; & in *Indifferentem*, sub quo Nobilis, Plebeius, Diues, Pauper, Parcus, Filius, vel Nepotes, Consanguinei, Affines, Puer, Adolescens, Vir, Senex. Qui de statibus scripsere plures sunt, videri que possunt apud Antonium Posseuinum Bibliothecę selectę libro tertio; & in Indice Vniuersali Fabiani Iustiniani, verbo status, aliorumque Bibliothecariorum. Item pro illo, qui in Moralis Theologiæ studium incumbit, vide eumdem Posseuinum loco statim citato.

Post Theologiam Speculatiuam, & Practicam siue Moralem, rectè sequitur tertium partitionis membrum, Theologia videlicet, Parænetica, quæ ad vtriusque illarum vsum, quantùm satis est in sacro concionandi munere exercendo pertinet; potissimum enim in eo consistit, vt per illam fidelibus tam credenda, quam agenda ab idoneo concionatore proponantur, ac persuadeantur, adhibita rectę Inuentionis, Dispositionis, Elocutionis, atque Amplificationis regula; vt docet D. Augustinus lib. 4. de doctrina Christiana, vbi istam eius partem, in sacra parænesi sitam latè prosequitur; Cum enim ex ipso, duę sint res, quibus nititur omnis tractatio scripturarum: modus inueniendi, quæ intelligenda sunt, & modus proferendi, quę intellecta sunt;

post-

postquam de priori egit in tribus primis libris de doctrina Christiana, differit de posteriori in quarto, & vltimo libro, non ex præceptis Rethoricæ, quam in scholis sæcularibus, & didicerat, & docuerat, sed ex sacris litteris, quibus ostendit esse germanam eloquentiam, quæ sapientiæ adhæret velut inseparabilis comes.

CAPVT X.

Sacræ Doctrinæ materia, Aristotelis Dialectica methodicos adaptata.

CVm ad Sacræ doctrinæ munus, & officium pertineat, dirigere nostras mentis operationes in ordine ad cognitionem Dei, rerumque supernaturalium, sicut Dialectica pro meta habet directionem earumdem mentis operationum circa res naturales, non incongruè materiæ Theologicæ eius ordini, ac methodo ab aliquibus adaptatæ fuerunt, vndè etiam illi Dialecticotheæ, siue Dialecticæ diuinæ, & supernaturalis nomen dederunt. Quemadmodum ergò primæ mentis operationi dirigendæ inseruiunt Categoriæ, ita sub titulo Categoritheæ, siue Categoriarum diuinarum comprehendi possunt omnes quæstiones, vel materiæ Theologicæ connexionem habentes cū principijs philosophicis incomplexis, qualia sunt illa, quæ ad Antiprædicamenta, Prædicamenta, & Postprędicamenta spectant. Ita relatiuè ad Anteprędicamenta primùm examinari potest, quomodo diuini termini sint apprehendendi; relatiuè autem ad prædicamenta, quæ sequuntur tractanda sunt.

Circa prædicamentum substantiæ, agendum est de prædicatis Dei essentialibus subordinatis; Ex eodem etiam prædicamento deducitur tota materia de Incarnatione Verbi Diuini. Circa prædicamentum Quantitatis de diuina perfectione generatim, & infinitate; tùm de symbolica quantitatis in Deo consideratione. Circa prędicamentum Qualitatis, de diuinis virtutibus; Circa prædicamentum Relationis, de diuinis relationibus tam ad extra, quàm ad intra, quibus tota ferè materia de Trinitate comprehenditur. Circa prædicamentum Actionis, de diuinis actionibus tàm immanentibus, quàm transeuntibus, siue extra ipsum saltem virtualiter prodeuntibus, ex quibus deduci posset præcipua materia de gratia sanctificante, & auxiliante. Circa prædicamentum Passionis, de diuina immutabilitate, & quomodo tantùm Deo passio per idiomatum communicationem, vel humano more loquendo tribuatur. Circa prædicamentum Vbi, de immensitate Dei, nec non de Sanctissima Eucharistia, & loco Angelorum. Circa prędicamentum Quando, de Aeternitate; Situs, quod corporatura, atque adeo situs remoueatur à Deo, & in eo tantùm mysticè reperiatur. Circa prędicamentum Habitus, similiter quam longè absit à Deo corporeum indumentum; & quod metaphoricè solùm vestitus in scripturis denominetur. Tandem relatiuè ad Postprędicamenta, tractari potest, quęnam genera distinctionum in diuinis reperiantur, nec non de priori, & posteriori.

Ad secundam mentis operationem dirigendam, vt pertinent duo libri Perihermenias, seu de Interpretatione, ita sub titulo Hermenicotheæ, seu diuinæ interpretationis explicari potest, quomodo termini diuini sint inter se in enunciatione connectendi; cuius partis tria iterum membra, tresue sectiones assignari possunt; *Prima* pro signis, quibus Deus voluit hominibus innotescere, suaque mysteria eis declarare; ad quantam eorum notitiam possint aspirare; an, & quomodo sit nobis Deus effabilis. *Secunda* pro propositionibus Theologicis tàm affirmatiuis, quàm negatiuis; tam ad Theologiam continuam, siue de Deo Vno, quàm discretam, siue de Deo Trino pertinentibus,

iuxta

iuxta doctrinam D. Dionysij cap. 2. de diuinis nominibus; nec non ad Deum Incarnatum; v.g. an Christus sit dicendus creatura, an filius adoptiuus, &c. *Tertia* pro qualitate propositionum Theologicarum, videlicet, quęnam sint de fide, quęnam illi contrariæ, de quibus egimus supra libro secundo.

Denique, vt tertia mentis operatio dirigitur ex duobus libris de priori Analysi, duobus de posteriori, octo Topicorum, & duobus Elenchorum; ita sub titulo Analicothecę, & Topicothecę, possunt ordinari omnia principia, & loca, ex quibus Theologus circa diuina, vtcunque discurrere potest, de quibus omnibus actum est supra libro secundo & libro tertio. Tantùm de pręfata methodo ad Dialecticam accommodata. Cui lucem præferre possunt Ioannes Durelleus Ord. Minimor. S. Francisci de Paula. Carolus Bouillus quoad Categoritheam, & Franciscus Albertinus tomo secundo Corollariorum, seu quęstionum Theologicarū ex principijs Philosophicis incomplexis, seu prędicamentis. Quoad Analycotheam idem Albertinus tomo primo Corollariorum, seu quæstionum Theologicarum, quæ deducuntur ex principijs philosophicis complexis. Primum est modus operandi sequitur modum essendi: Secundum, Instrumentum agit supra suas vires in virtute causę principalis: Tertium, conclusio sequitur debiliorem partem antecedentis: Quartum, de futuris contingentibus non est determinata veritas in causa, sed in effectu: quintum, à distributiuo ad collatiuum non valet consequentia physicè, valet moraliter: Sextum, propter quod vnumquodque tale, & illud magis: Septimum, quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se. Item Aloysius Nouarinus in libro inscripto, *Omnium scientiarum anima*, hoc est, *Axiomata Physio-Theologica, ex probatis Auctoribus prompta, & suo ordine distributa*. Tandem pro Topicothea Melchior Canus, alijque plures, qui de locis Theologicis, 1. par. qu. 1. & secunda secundæ scripserunt in tractatu de fide.

CAPVT XI.

Afferuntur aliæ nonnullæ Sacræ Doctrinæ partitiones.

Ratione diuersi status hominis, ante, & post peccatum originale, naturamque ex ea re varietatem, ac multitudinem eorum, quę Deus homini reuelare voluit, diuidi etiam potest Sacra doctrina, siue Theologia in primam, & secundam. Prima, quę & perpetua vocari potest, dicitur ea, qua Deus, resque diuinæ considerantur veluti secundum primam rerum institutionem, hoc est, præueniendo peccatum Angeli, & hominis, quæque occasione peccati consecuta sunt bona, & mala. Per peccatum enim, quod libero creaturæ intellectualis arbitrio commissum est, subintrauit alterius in Theologia partis necessitas, quæ ritè secunda Theologia appellari potest; nec pauciora doctrinæ capita, quàm prima comprehendit: veluti de lapsu Angelorum, & primorum parentum, tùm de hominis lapsi reparatione, quæ fit per beneficium Christi Redemptoris; vndè complura emergunt considerationis capita, quæ hunc ferè ordinem habere possunt; de prædestinatione hominis lapsi, eiusque reparatione; de mysterio Incarnationis, & Oeconomia Verbi diuini; de hominis per gratiam ipsius iustificatione; de statu, ac differentia veteris, & nouæ legis Euangelicæ; de præceptis, & consilijs Euangelicis; de vocatione Gentium; de Ecclesia Christi, eiusque per Episcopos, & Presbyteros, aliosque ministros, sub vno summo capite Romano Pontifice, ordinatissima gubernatione; item de legibus, & censuris Ecclesiasticis, de Concilijs, de Scriptura, & sacris traditionibus, de Sacrificijs, & Sacramentis, tam veteris, quàm noui testamenti. Quibus omni-

omnibus accedit tractatus de statu defunctorum secundum diuersa tempora, & merita, deque Iudicio finali, ac mortuorum resurrectione, in qua consummabitur humanæ naturæ, quoad electos, instauratio per Christum, cum quo perpetuò beati erunt, reprobis sub ira Dei derelictis, atque æternæ miseriæ addictis. Præfatam Sacræ doctrinæ partitionem videtur insinuasse Christus Dominus, quando Ioannis 17. dixit; *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.* Prior enim huius sententiæ pars facilè ad primum partitionis membrum referri potest, posterior autem ad secundum, in quo Christus Redemptor à Patre missus consideratur, si enim peccatum in mundum non intrasset, Christo Redemptore opus non fuisset, totaque secundi generis Theologia vacaret; vndè præclarè D. Augustinus ait: *In causa duorum hominum, quorum per vnum sub peccato venumdati sumus; per alterum à peccatis redimimur, tota fides Christiana consistit.*

Eadem ferè methodo diuiserunt aliqui Theologiam in quinque partes: In quarum prima, disputatur de Deo ipso per se: In secunda, de illius effectis per se: In tertia, de Deo, & rebus effectis comparatè, vt quomodo Deus conseruet quæ fecit: an habeat prouidentiam, & prædestinationem: In quarta, de ijs rebus, quibus Deus hominem, propter quem de Deo disputamus, ad beatam vitam ducit generaliter, hoc est, de virtutibus, atque officijs eorum, & effectis: In quinta, de rebus quibus Deus Christianos præcipuè decreuit ad vltimum finem perducere, vbi de Christo Domino agitur, & de Sacramentis.

Insuper, quoniam Theologiæ diuinæ munus est, doctrinam tradere eorũ omnium, quæ ad habendum Deum valent, spectantque ad eius cognitionem, & amorem; ob id etiam aliqui materias Theologicas distingunt, in capita primum ad cognitionem, deindè ad amorem Dei pertinentia. Ad cognitionem autem Dei spectat, & ipse Deus, qui est finis, ac felicitas nostra; & media, quibus ad Dei cognitionem, & amorem peruenimus, quæ sunt & creaturæ visibiles, ex quibus intelligimus authorem Deum; & gratia inuisibilis, qua nos iuuat Deus ad sui cognitionem, & amorem: & Christus Iesus filius Dei, cuius meritis Deum assequimur; & Ecclesia, quam voluit Deus esse visibilem magistram diuinæ doctrinæ; & Sacramenta, per quæ nobis infunditur gratia. Ad amorem verò, amicitiamque habendam cum Deo spectat obseruatio præceptorum diuinorum. Præcepta autem diuina, alia supernaturalia sunt de fide, spe, charitate; alia naturalia de virtutibus moralibus, quarum quatuor sunt genera, Prudentia, Iustitia, Fortitudo, Temperantia. Sine bonis operibus non potest esse amicitia cum Deo: bona autem opera obseruatione diuinorum præceptorum exhibentur. Hæc sunt tùm credenda, tùm agenda, quæ & sciri oportet, & fieri, vt vitam æternam, id est, vt Dei cognitionem intuitiuam, & vt diuinum amorem consequamur. Sic vniuersa Theologia summatim ad tredecim communes locos redigi potest. Primum de Deo. Secundum de diuinis naturæ, gratiæque operibus. Tertium de Christo. Quartum de Ecclesia militante. Quintum de æterna felicitate, ac Ecclesia triumphante. Sextum de bonis, ac malis operibus. Septimum de fide. Octauum de spe. Nonum de charitate. Decimum de prudentia. Vndecimum de iustitia. Duodecimum de Fortitudine. Decimum tertium de Temperantia.

Præterea ex illo 1. Corinth. cap. 14. v. 19. *Sed in Ecclesia volo quinque verba sensu meo loqui, vt & alios instruam: quam decem millia verborum in lingua:* Perfecta Sacræ doctrinæ partitio, Christianique hominis institutio quinque capitibus comprehendi potest; quibus

D. Pau-

D. Paulus fidelem Dei populum in Ecclesia instruendũ esse suo docet exemplo; Hæc sunt, Credenda, ad Titum 3. *Hæc loquere, & exhortare*; Agenda, Matth. vlt. *Euntes in mundum &c. docentes eos seruare, &c.* Vitanda, scilicet peccata, Eccles. 21. *Quasi à facie colubri fuge*; & Isaiæ 58. *Annuntia Populo meo scelera, &c.* Speranda, scilicet merces æterna 1. Petri 1. *De qua salute exquisierunt, &c.* Timenda, pœnæ videlicet æternæ, Matth. 25. *Ite maledicti in ignem æternum.* Horum quinque alia præcipuè pertinent ad fidem, vt credenda; alia ad mores, vt reliqua quatuor, videlicet Virtutes, Vitia, Gloria, Pœna. Credenda igitur sunt, quæcumque ad Fidem pertinent Catholicam; in quorum cognitionem præcipuè ducit notitia Verbi Dei, Symboli Apostolorum, Orationis Dominicæ, Sacramentorum, Sacrificiorum. Agendorum numero continentur, Virtutes; Præcepta Dei; Ecclesiæ, consilia Euangelica, bona opera, & eorum fructus; Dona Spiritus Sancti; Gradus Beatitudinis; Vitanda, & fugienda, sunt omnia peccatorum genera; Speranda, quæ ad præmium Christiani certaminis pertinent; Timenda denique, quæ ad malorum pœnam. Tantùm de præcipuis Sacræ doctrinæ partitionibus, ac methodis, quibus materiæ Theologicæ generatim ordinari, aut distribui possunt.

SECTIO SECVNDA.

De Methodo veluti se tenente ex parte formæ, quatenus per illam præscribuntur regulæ tractandi materias Theologicas.

CAPVT PRIMVM.

Proponuntur regulæ generales tractandi materias, vel quæstiones Theologicas.



ANTEQVAM agamus in particulari de regulis Theologiæ Speculatiuæ, Moralis, ac Paræneticæ proprijs, primùm in hoc capite, visum est generales quasdam regulas, siue canones proferre, quibus vtiliter ad Theologiam accedi, materiæque eius, vel quæstiones tractari possunt; qui claritatis gratia reducentur ad quatuor genera causarum, Efficientis, Materialis, Formalis, & Finalis.

Incipiendo à causa efficienti, per illam intelligo, vel Theologiæ doctorẽ, qui eam alijs tradere, vel etiam auditorem, qui eam discere debet, vel, vt vno verbo vtrumque comprehendam, Theologiæ, Sacræve doctrinæ studiosum. Igitur, quod ad illum spectat, qui Theologico studio operam daturus est, in primis requiritur, vt ei sit aptus, & idoneus. Si enim prisci illi philosophi maximè cauere solebant, ac diligẽter prouidere, ne reconditiora humanæ sapientiæ arcana promiscuè omnibus aperirentur, sed cum illis solis discipulis ea communicarentur, quos ad

ipsa percipienda idoneos cognouissent; multò magis id debet habere locum, in maximis, ac præ cæteris omnibus, tùm obscurioribus, tùm etiam diuinioribus Sacræ Theologiæ mysterijs: vt satis apertè colligitur primum ex diuinis Scripturis, deindè ex communi Sanctorum Patrum sensu, Christus enim Dominus Lucę 8. & alibi sępè, cum vulgo imperito, ac discipulis indiscriminatim loqueretur, solitus erat dicere, (*Qui habet aures audiendi audiat*) quasi significans non deesse plures, qui cum aures habeant, auditu tamen ipso, sensu scilicet intelligentiæ, careant. Paulus quoque Apostolus Hebręor. cap. 5. 1 r. eos ad audienda Dei mysteria ineptos iudicans ait: *De quo nobis grandis sermo, & ininterpretabilis ad dicendum: quoniam imbecilles facti estis ad audiendum.*

Etsi enim hæc, & alia similia Scripturæ testimonia intelligantur à multis de secretioribus fidei nostrę Sacramentis; rectè tamen ad ipsum etiam Theologicum studium extēdi possunt: si namque omnibus non sunt fidei arcana referanda, multò minus Theologicum studium erit cuiuis concedendum, quod quidem, perfectam Dei, perfectam fidei cognitionem requirit, atque illa veluti fundamento vtitur, vt suo loco abundè probauimus. Quamobrem Sācti Patres Dionysius Areopagita de Cęlesti, & Ecclesiast Hierar. Clemens Romanus Recognit. lib. 2 Clemens Alexandrin. Stromat. lib. 1. Origenes lib. 1. contra Celsum, Gregorius Nazianzenus orat. 1. de Theolog. Basilius quæst. 96. Hieronymus in Ezechielem cap. 44. alijque plures vnanimiter docent, quemlibet non esse ad Theologica studia promiscuè admittendum; indèque quod plures ex infima plebe homines imperiti, perditi, ac flagitiosi, contentionis, pecunię, & humanæ glorię cupidi res Theologicas audacter tractare non timuerint; putant aliqui tot rixas, & iurgia exordium sumpsisse, tot peruersas sententias manasse, tot ineptas Scripturæ interpretationes, tot denique mala consecuta, & in Ecclesiam inuecta fuisse.

Vt autem quis censeatur tractandis Sacræ Theologiæ rebus idoneus, secundo ijdem Patres singularem in eo solertiam, & ingenij acumen desiderant. Licet enim quispiam ex imperito summus repentè Theologus Dei dono mirabiliter euadere possit, quod ipsis Apostolis contigisse credimus, nullus tamen apud illustres scriptores legitur, qui deinceps ex stupido ad cognitionis perfectionem peruenerit, sed potius Deus, qui pertingit à fine ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter, ea sibi formauit, & in dies format instrumenta, naturęque donis ornat, quę sint ad Sacram doctrinam aptissima, & ad Spiritus Sancti pręstantiora charismata suscipienda opportunè accommodata; vt cum opus fuerit ad Ecclesiæ fructum, & ędificationem suo ipse arbitratu illis cōmodè vtatur. Sic Gregorius Nazianzenus ait, orat. 1. de Theologia: *Non ij sumus, qui vigorem animorum, & acrimoniam in vitio ponamus, sine qua nemo facilè insigni aliqua pietatis laude, aut alia virtute præstiterit:* Idque eleganti equi similitudine demonstrat; ac rursus definiens in oratione de modo in disput. seru. quibusnam hominibus facienda sit potestas, diuina, Theologicaque tractandi; *Iis*, inquit, *qui animo non sunt omninò tardo, & ignauo*; & paulò infra: *Non cuiusuis est de Deo differere, sed eorum tantùm est, qui inter multos habito delectu ad tantùm munus videntur idonei, quique contemplandi acumine cæteros antecellunt.* Quod si vnquam, hoc maximè tempore necessariū esse videtur, quo multiplex, ac pertinax fidei hostium sensus haud leues requirit velitationes.

Tertiò, qui Theologiam profiteri vult, non solùm natura debet esse ingenio acuto, acri, perspicaci, sed humanis insuper præditus disciplinis, primum Grammatica; multumque iuuabit

bit si non Latinæ tantùm, sed & Græcæ, & Hebraicæ linguæ, quo ad eius fieri possit, non sit ignarus. In omnibus autem Philosophiæ partibus, versatus esse debet. Quatenus, vt suo loco diximus, omnia etiam humanæ doctrinæ adiumenta non parùm ad perfectam Sacræ doctrinæ assecutionem conferunt.

Quartò, quoniam Theologiæ studiosus potest quidem humanarum scientiarum præsidio, ad Theologicas res cõtemplandas vtcumque se præparare, eas autem intelligere nunquam potest, nisi insuper supernaturalibus cælestiũ charismatum donis augeatur; cum Theologia sit scientia de Deo, cuius principia non solùm sunt supernaturalia, verùm etiam per se infusa, si quidem sunt ipsamet fidei diuinæ effata; hinc illa in primis imbutum esse vnumquemque oportet, qui Theologica arcana intelligentia comprehendere expetit. Propterea scriptum est. Isa.6. *Nisi credideritis non intelligetis*; quem locum explicans Cyrillus Alexandrinus lib. 4. in Ioannem ait: *Optimè autem fidem cognitioni præposuerunt, præcedit namque fides, cognitio sequitur, iuxta illud si non credideritis, non intelligetis*. Hunc quoque ordinem seruauit Apostolus 2.Thessalonicenses 3. cũ dixit: *Non omnium est fides, & scientia*; posteriore loco scientiam ipsam collocans; est enim fides, ceu primaria quædam basis, & fundamentum, quo semel iacto potest Theologus paulatim cognitionem, quæ in Christo est superædificare, ac ita in virum spiritualem euadere. Quam ob causam idem Apostolus 1. Corinth.3. dicebat: *Secundum gratiam, quæ data est mihi, vt sapiens Architectus fundamentum posui, alius autem superædificat argentum, & aurum, & lapides pretiosos*. Quæ verba exponens Clemens Alexandrinus lib.1. Stromatum ait: *Hac sunt ædificia cognitionis, quæ ponuntur super fundamentum fidei, quæ est in Christo Iesu, stipula autem sunt, quæ offeruntur, & dedicantur ab hæresibus, & ligna, & fœnum*.

Quintò, charitatẽ quoque in Theologiæ studioso desiderant Patres, non solùm ad scientiæ tumorem comprimendum, dicente Apostolo 1.Corint.8. *Scientia inflat, charitas verò ædificat*; sed etiam ad Theologicas veritates facilius penetrandas; iuxta eumdem Apostolum Ephes. 3. *In charitate radicati, & fundati, vt possitis comprehendere*; Vndè Clemens Romanus lib. 3. recognitionum ait: *Quod sicut montes, & terram Cæli ambitu (Deus scilicet) circumdedit, ita & veritatem charitatis suæ velamine contexit, vt ille ad eam solus peruenire possit, qui prius ianuam dilectionis diuinæ pulsauerit*: & rursum: *Hi verò, qui eius affectum minimè concepere, nec illuminatam charitatem eius gerunt, mente velut in tenebris positi, lucem videre non possunt, & ideò etiam prius quàm incipiant requirere de Deo, quasi labore oppressi statim deficiunt*. Cui consentiens D. Augustinus lib. 32. contra Faustum cap.18. ait: *Per charitatem peruenitur ad plenitudinem scientiæ: non intratur in veritatem nisi per charitatem*, quod alibi sæpius docet, ac repetit.

Sextò, à charitate autem non est separanda fidelissima eius socia humilitas; vt enim Philosophi sine ea, teste Ambrosio lib. 1. de Vocat. Gentium c.11. *Dicentes se esse Sapientes, hoc est non in Deo, sed in semetipsis gloriantes, quasi ad veritatis inspectionem suis studijs, atque rationibus propinquassent, euanuerunt in cogitationibus suis; Et quod illuminante Dei gratia inuenerant, obcæcati superbia perdiderunt*; ita per oppositum lumen intelligentiæ humilitas aperit; clamat enim Sapientia Prouerb.9. *Si quis est paruulus veniat ad me*: & Christus Dominus Matth. 11. ait: *Confiteor, tibi Pater, Domine Cæli, & terra, quia abscondisti hæc à Sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis*; vt omittam plura alia tàm Sacræ Scripturæ, quàm Sanctorum Patrum testimonia, quibus clarè asseritur, sine humilitate arcana diuinæ sapientiæ mysteria intelli-

telligi nequaquam posse.

Septimò, mirum etiam in modum Sancti Patres laudant, in Theologiæ studioso diuitiarum, rerumque mundanarum contemptum; *Cum enim corporalibus*, inquit Athanasius orat. contra Idola, *commercijs non immiscetur mens humana, neque vllam ex rebus extraneis admixtam trahit cupiditatem, sed sibi tota adest, vt à principio condita fuit, tunc sensibilia, & omnia humana transcendens in sublime euolat.* Idem docet Diadocus cap. 66. explicans illud Psal. 77. v. 21. *Pauper, & inops laudabunt nomen tuum*; *Nec enim*, inquit, *charisma Theologiæ, id est tractationis Verbi Dei, vlli ab eo præparatur, nisi se ipse ita præparauit, vt præter gloriam Euangelij Christi omnium bonorum suorum relinquat possessionem, vt in paupertate Deo amica diuitias Euangelij regni Dei prædicet.* Adeò vt Theologica scientia sit veluti pretiosa margarita, qua semel inuenta, eius studiosus, si non effectu, saltem affectu debet relinquere omnia, vt comparet eam.

Octauò, cum vera Sapientia, teste Salomone, illi tantùm communicetur, qui purgato à vitijs animo vnam virtutem complectitur; certè Sacræ doctrinæ, in qua diuina Sapientia continetur, studium agredi capienti, illud in primis elaborandum est, vt præter animi solertiam, cor insuper omni iniustitia mundatum habeat: vndè Ecclesiasticus 1. 33. *Concupiscis*, inquit, *sapientiam, serua iustitiam, & Dominus præbebit eam tibi.* Et Gregorius Nazianzenus in orat. 1. de Theologia docet: *Non cuiuslibet esse de Deo differere, sed his dumtaxat hoc munus incumbere, qui exactissimè explorati sunt, contemplandique acumine excellunt, qui etiam, & corpus, & animam à vitiorum sordibus purgarunt: aut, vt parcissimè loquar, iam in hoc toti sunt, vt se à vitiorum labe purgent.*

Nonò, quia ad Theologum pertinet ferre iudicium de sententijs, quæ scilicet, ad fidem, quæ ad opinionem propius accedant, quæ hæretica propositio, quæ hæresim sapiens, quæ malè sonans, quæ temeraria, quæ periculosa, quæ noua, quæ probabilis, quæ vera; vt id præstare possit, & cuique doctrinæ iustum pondus attribuere, in regulis fidei, siue locis Theologicis exercitatus esse debet.

Decimò, nisi aliqua doctrina, vel opinio sit apertè censura digna, Theologus ab illa abstineat, nec vnquam absolutè dicat, scribat, doceatque, opinionem, quæ est controuersa inter Doctores Catholicos, & eorum scholas, esse de fide, sed ad summum illius verba sint, hæc opinio mihi videtur esse de fide; Auctoribus istis videtur esse de fide, alij tamen negant, &c. præterquam quod enim facilitas in censurando, leuis iudicij, ingenijque, non raró signum, & argumentum est, grauissimè etiam peccari potest in afferenda aliqua opinione tanquam de fide, dum hæc probabilem habet aliarum scholarum, vel doctorum expositionē. *Primò*, contra charitatem, quis enim non grauiter offenditur, cuius sententia tanquam hæretica damnatur, ex nō vrgenti, ac euidenti testimonio. *Secundò* contra iustitiam, constat enim in, teruenire in eo facto, veram aduersus talis opinionis Autorem iniuriam, contra verum, & proprium ius famæ. *Tertiò* contra obseruantiam sacræ doctrinæ, vel scripturæ debitam; malè enim merentur de scriptura, qui eam, quæ per se latissimè patet, & variarum sententiarum, atque interpretationum est capax, ad suæ opinionis angustias coarctare, & coangustare volunt. *Quartò*, contra fidem ipsam, si quis enim pertinaciter defendat sensum talem, aut opinionem talem, non quia fidei, vel scripturæ, sed quia propria, si postea constet germanus, verusque sensus, facilè hunc reijciet, adeoque ille, qui hæreticum alium appellauit, verè in hæresim incurret. Quamobrem D. Augustinus lib. 1. de Genesi ad litteram, cap. 18. monet, *Vt in rebus obscuris, atque*

quæ ab oculis nostris remotissimis, si quæ in Scriptura legimus, quæ possunt salua fide, qua imbuimur, alias, atque alias parere sententias, in nullam illarum nos præcipiti affectione ita proijciamus, ne si forte diligentius discussa veritas eam labefactauerit, corruamus, non pro sententia diuinarum Scripturarum, sed pro nostra ita dimicantes, vt eam velimus Scripturarum esse, quæ nostra est; cum potius eam, quæ Scripturarum est, nostram esse velle debeamus. Quintò, huiusmodi faciles, ac præcipites censuræ, vel suffixiones Theologorum Catholicorum per alios Theologos Catholicos scandalo sunt non solùm fidelibus, verum etiam hæreticis; ita vt in nos ipsi retorqueant, quod plerosque Sanctos Patres hæreticis obiecisse nouimus, Cyprianum, Epiphanium, Augustinum lib. 18. de Ciuit. Dei cap. 51. Irenęum lib. 1. c. 5. Virgilium lib. 2. & 4. contra Eutyehem, & alios: perpetuas, inquam, & inconciliabiles inter eos animorum abiunctiones, & dissidia, dum alij in alios grassantur, ac sæuiunt.

Vndecimò, cum etiam ad Theologum spectet examinare reliquorum omnium scientificorum doctrinas, ac opiniones, an sint conformes regulis fidei; caueat ne sententiam ferat, nisi optimè calleat aliarum scientiarum principia; priusque diligenter discutiat, an repugnet reipsa fidei, vel Scripturæ alicui expresso loco talis opinio, quæ asseritur ab insigni Philosopho, Mathematico, aut alio; adeò vt ille Scripturæ locus nullam aliam congruã vel probabilem admittere possit interpretationem.

Duodecimò tandem, licet interdum argumentum, de quo agitur, & aduersarij malignitas, mordacitatem in scribendo honestare possit; vt satis patet exemplo multorum Sanctorum Patrũ, qui aliàs temperatissimi, & mitissimi, tamen ad comprimendum hostium Ecclesiæ furorem, vel ad respondendum stulto, secundum stultitiam suam, nullis asperis, & acerbis verbis peperceruntt; vt notauimus supra lib. 4. Theologus tamen ab illo scribendi genere plus iusto, piperato, & salito, quod Tullius in 2. ad Attic. Theopompinum vocat, abstinere debet, vt in omnibus se præbeat exemplum modestiæ, charitatis, & iustitiæ. Quod sanè præstabit, sicut, & alia omnia ad Sacræ doctrinæ intelligentiam, vel tractationem necessaria, si à Deo illa continuis precibus efflagitauerit; exemplo Regij Prophetæ, qui solicitè orabat Psal. 118. *Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam*; item: *Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua*; Et Salomonis Sapientiæ 8. *Dixi*, inquit, *ex præcordijs meis: Da mihi Domine sedium tuarum assistricem sapientiam*. Quare ait Augustinus lib. 3. de doctrina christiana cap. 37. *Non solùm admonendi sunt studiosi venerabilium litterarum, vt in Scripturis sanctis genera locutionũ sciant, & quomodo apud eas aliquid dici soleat vigilanter aduertant, memoriterque retineant: verum etiam quod est præcipuum, & maximè necessarium orent, vt intelligant. In eis quippè litteris, quarum studiosi sunt, legant, quoniam Dominus dat sapientiam, & à facie eius scientia, & intellectus, à quo & ipsum studium, si pietate præditum est, acceperunt.* Tantùm de regulis ex parte causæ efficientis, siue de dispositionibus, quibus Theologiæ studiosus ad eam vtiliter accedere, eam tractare, in eaque versari debet.

Quod spectat nunc ad causam materialem, per illam intelligimus quæstiones ipsas, vel conclusiones, quę in Sacra doctrina tractari possunt, ac debent; materiæ enim Theologicæ, cum in dubium vocantur, quæstiones sunt, cum autem ratione coguntur conclusiones. At quia multa de quæstionibus, tam à Dialecticis, quàm à Rethoribus traduntur; primi enim docent quæstionem omnem medij esse, haberique semper de definitione, genere, proprio, vel accidente, de vnoque verò quæri, An sit, Quid, Quia, & Propter quid; Retho-

Rethores autem, honesto, vtili & iusto, vel tempore pręsenti, præterito, ac futuro quæstiones distingunt, atque aliam facti, aliam iuris esse dicunt; illis omnibus omissis, ea solùm hic notabimus, quæ rectum in Theologia quæstionum vsum aperire possunt, secundùm quod quæstio est inuestigatio rei incognitæ, quæ nodi propositi solutione terminatur; vel propositio, quæ aliquid dubium ad probandum cum interrogatione proponitur; sic vt eadem propositio, cum fuerit per aliquod medium probata, dicitur conclusio.

Primùm igitur, cum Sacra Scriptura, nunc timidos, & otiosos homines ad rerum diuinarum inuestigationem, scrutationemque hortetur; nunc verò audaces, & curiosos earumdem rerum inquisitores arguat, & ab inquirendo deterreat, Lucæ 1. 2. & 20. Ioann. 5. Eccl. 3. 1. Reg. 2. 1. Timot. 1. 2. & 6. Quod etiam passim faciunt Sancti Patres, indè colligitur aliquem in rebus diuinis tractandis, & quærendis modũ adhibendum esse; ita vt non quæcunque quæstio laudanda, nec quælibet vituperanda sit; sed potius quæstionum genus vniuersum sit, & indifferens; cuius species aliæ sunt laudabiles, aliæ verò reprehensione dignę: vt docet Gregorius Nazianzenus in Matt. c. 19. dum ait, Christum Dominum, quasdam quæstiones soluere, & explicare solicitum fuisse, quasdam comprimere, atque obstruere: & addit, nos idem ad imitationem Christi facere debere. Ne in alterum extremum, aut nihil, aut nimium quærendo, delabamur.

Secundò ad habendum hunc quæstionum in re Theologica delectum, obseruandum est in omni quæstione constituenda duo potissimum reperiri, rem scilicet de qua quæritur, & personam, quæ vel inquirit, vel propositam quæstionem explicat. Nomine autem rei, non solùm intelligitur ea, quæ ipsi quæstioni subijcitur, siue quæsitum ipsum, sed etiam quidquid ad illius solutionem conducit, vt est, medium, quod in hunc finem assumitur. Insuper quoniam vnaquæque res proprium ac certum nomen habet, in quæstione rei possumus spectare duo, & nomen rei, de qua quæritur, & eiusdem rei natura; quæ res iterum, vel est omninò per se nota, hoc est sensui, aut rationi prorsus manifesta, vt si quæratur, an ignis sit calidus, aut totum maius sua parte; primum enim sensus manifestè testatur, secundum autem explicatis semel terminis ita manet rationi perspectum, & exploratum, vt nullum dubitationi locum relinquat; vel est prorsus ignota, ita vt eius veritas nullo penitus modo attingi possit; vel denique huiusmodi, quod licet sit ignota, nihilominus aliqua inuestigatione fieri potest nota. Huius autem tertij generis res, quæ in disputationem veniunt, aliæ sunt quæ sensu, & ratione cognosci possunt, vt sunt quæ in humanis scientijs tractantur: aliæ verò quæ solo fidei lumine percipiuntur: quarum aliæ rursus ad fidei principia pertinent, & ab omnibus aliqua parte cognosci possunt, & debent; aliæ verò quæ ex talibus principijs deducuntur, vt sunt quæ propriè facultati Theologicę subijciuntur: demum aliæ sunt, quæ in hac vita ingenij humani imbecillitate percipi nequeunt: sed percipiendæ beatis in cęlo reseruantur. In omni tandem quæstione possumus cõsiderare, tùm honestatem, cum solùm honesta percontari liceat, tùm vtilitatem, cum id quærere debeamus, cuius inuentio sit futura vtilis.

Tertiò, colligitur ex dictis, omnem in quęrendo laudem, aut culpam, vel ex quęsito, vel ex medio, vel ex persona spectandam esse; ita vt illa quęstio laudabilis dicenda sit, in qua nulla fuerit culpa ex prędictis capitibus, vitiosa verò, cui aliqua obuenerit, prout in particulari explicabitur sequentibus regulis, discurrendo per singula quęstionum genera.

Quartò igitur, quod pertinet ad quęstiones de nomine, obseruandum erit, an no-

an nomina immutata, seu nouè prolata, idem penitus quod vetera, à Scripturis, & Patribus vsurpata significet, vel aliquid diuersum; si idem prorsus significent, an id certum sit, vel incertum; si quid autem diuersum, similiter, an id certum sit, aut ambiguum, vt quando nomen plures haberet significationes, & dubium esset, an cum diuina Scriptura, aut traditione à Patribus accepta conueniret. Casu quo quæstio nouarum vocum, aut nominum esset, quæ idem prorsus significarent, quod nomina vetustiora à diuinis litteris, & sacris doctoribus vsitata; idque, vel ex approbatione, & vsu Ecclesiæ, vel ex euidenti ratione certò constaret; tunc vt ex parte eius, qui talia nomina impugnaret, quæstio vituperalis esset, ita per oppositum laudabilis censeri deberet, ex parte alterius, qui illa retinenda esse contenderet. Hæc prima regula, quò ad eas voces, quas idem significare certa ratione constaret, &c. colligitur ex Diuo Augustino tract. 97. in Ioann. sub finem. Sunt & doctrinæ, inquit, religionis congruentes verborum, nouitates, sicut ipsum nomen Christianorum, quando dici cæperit scriptum est, in Antiochia enim primùm post Ascensionem Domini appellati sunt Discipuli, Christiani, sicut legitur in Actibus Apostolorum; & Xenodochia, & Monasteria postea sunt appellata nouis nominibus, res tamen ipsæ, & ante nomina sua erant; & Religionis veritate firmantur, qua etiam contra improbos defenduntur. Aduersus impietatem quoque Arrianorum hæreticorum, nouum nomen Patres Homoousion condiderunt, sed non rem nouam tali nomine signauerunt; hoc enim vocatur Homoousion, quod est, Ego & Pater vnum sumus, vnius videlicet, eiusdemque substantiæ, nam si omnis nouitas prophana esset, nec à Domino diceretur, mandatum nouum do vobis, nec Testamentum appellaretur nouum, nec cantaretur in vniuersa terra Canticum nouum.

De eadem voce Homoousio, quam Arriani, vt nouam auersabantur, & ex cuius horrore Catholicos per probrũ vocabant Homoousiastas, vt scribit S.Basilius epist. 73. & S. August. contra Arrianos cap. 36. de prædicta, inquam, voce, licet ante Concilium Nicenum vsurpata ab aliquibus Patribus, Dionysio Alexandrino in epist. ad Paulum Samosatenum, Gregorio Thaumaturgo in Anathematismis, tamen adeò infrequenter, vt tempore Niceni Concilij, potuerit noua videri, sic disserit S.Hilarius lib. contra Constantiũ. *Dic prius si rectè dici putas: Nolo aduersum noua venena nouas medicamentorum comparationes; & nolo aduersum nouos hostes, noua bella: nolo aduersum nouas insidias, consilia recentia. Si enim Arriani heretici, idcircò homoousion hodiè eniant, quia prius negauerunt, non ne tu hodiè idcircò refugis, vt hi nunc quoque denegent? Nouitates vocum, sed prophanas deuitari iubet Apostolus. Tu cur pias excludis? cum præsertim ab eo dictum sit, Omnis scriptura diuinitus inspirata vtilis est; innascibilem, scriptum nusquam legis, nunquid & hoc negandum erit, quia nouum est?* Hactenus Hilarius loco citato, & lib. de Synod. docet, nomen nihil habere criminis, quod sensum non perturbat religionis. In eamdem quoque sententiam scribit Athanasius in epistola ad Syn. Arim. Nihil referre, si quis voces in Scriptura non repertas vsurpet, quandiu pias sententias complectitur. Tandem, vt alios omittam Patres, quos refert Espenceus in Paralipom. ad Epistol. 1. ad Timoth. digress. 5. huic regulæ finem imponet S. Vigilius in disputat. Laodicenæ, Athanasij nomine cum Ario, cuius ipse est author; *Ecclesiastica semper moris fuit disciplina, si quando hæreticorum noua doctrina, exurgit, contra insolentes quæstionum nouitates, rebus immutabiliter permanentibus, nominum vocabula immutare, & significantius rerum naturas exprimere.* Ex quibus omnibus satis colligitur nouiloquium aliquod cum

verita-

veritate antiqua consentiens, posse in Ecclesia admitti.

Secunda regula. In rebus, aut quæstionibus Theologicis pertractandis, noua vocabula, quæ expresse aliquid contrarium, aut diuersum ijs, quæ reperiuntur in Sacra Scriptura, Patrumve decretis, aut certè non ita benè eamdem rem significant, sunt omninò tanquam periculosa reijcienda. Ad huius regulæ probationem facit primùm illud Apostoli 1. Timoth. cap. 6. v. 20. *O Timothee depositum custodi deuitans prophanas vocum nouitates*. Secundò, quod hæretici, vt fidei nostræ veritates corrumperent, & euerterent similes semper voces introducere conati sunt, sic Arriani in Concilio Ariminensi nomine *consubstantialitatis*, siue Homoousio abdicato, nomen Homoiousion siue similis substantiæ, aut essentiæ dolosè stabilire conati sunt, vt indè facilius Christum creaturam esse demonstrarent, quæ potest quidem dici ad imaginem, & similitudinem Dei, non autem vnius, vel eiusdem essentiæ, aut substantiæ cum illo; vt rectè in alio negotio docet Origenes comment. in Iob ad cap. 37. Vndè notandum est ibi Genebrardum margini apposuisse correctionem textui aduersantem. Censet enim textum esse corruptum, & legendum esse Homoiousion, sed hallucinatur. Præclarè enim negat Origenes quicquam esse Deo Homoousion, id est vnius essentiæ, vel Homousion, id est eiusdem essentiæ, quia intendit pungere Marcionem, qui humanas animas eiusdem cum Deo essentiæ statuebat, vt Theodoretus est autor tractans eius hæresim. Sic Nestoriani reiecto nomine Theotoco, id est Dei genitricem, nomen Theodocon id est Dei susceptricem asserere voluerunt, vt ita Beatissimæ Virginis Mariæ Dei maternitatem sub nomine ambiguo exploderent. Sic denique innumeras huius generis voces nostrorum temporum Hæretici in vsum duxerunt, vt pro, verbo, sermonem: pro Ecclesia, congregationē: pro Sacramento, secretum: pro Presbytero, seniorem; & sexcentas alias, de quibus legendus est Nicolaus Sanderus lib. 1. de Schis. Anglic. De hac quoque materia in vniuersum consulendus est aureus Vincentij Lyrinensis libellus dictus Commonitorium.

Tertia regula. In explicandis materijs Theologicis, vitanda sunt noua vocabula, ambigua, vel æquiuoca. Cum enim æquiuoca sint illa, quorum nomen est commune, rationes verò per illud significatæ simpliciter diuersæ; timendum esset, ne sub huiusmodi nominum communitate introduceretur aliqua diuersitas dogmatum; præsertim si hæretici ad aliquem errorem cōfirmandum talia nomina versutè deflecterent. Quam ob causam cum prius Sancti Patres promiscuè his duabus vocibus, Vsia, & Hypostasi, vterentur, postea animaduerso quod hæretici sub aliquali harum duarum vocum ambiguitate tres naturas, & substantias introducerent, illarum significationes distinxerunt; vnam dicentes vsiam, id est substantiam, & tres hypostases, hoc est, tres personas. At si diuersa talium nominum significata, nihil sanę doctrinę contrarium haberent, aut saltem certum non esset, quia à Sanctis Patribus aliquando vsurpata, nusquam autem ab hæreticis detorta ad alicuius falsi dogmatis confirmationem, vel ab Ecclesia reiecta, aut certè in suspicionem adducta, posset quis licitè huius generis vocabulis, vel nominibus vti, præsertim in ijs rebus explicandis, in quibus variè opinari, ac diuersè sentire licet. Tantùm de regulis, pro nominum quæstionibus, nunc sint pro quęstionibus, ex parte rerum, vtrumque enim ad causam materialem quæstionum Theologicarum pertinere superius annotauimus.

Quarta regula. Si Theologo nouiloquium, siue nouitas in nominibus, modo superius explicato, fugienda est, multo magis in rebus fidei; in illis enim Sancti Patres vnanimiter docent nouita-

nouitatem, idem esse, quod error, vel doctrina improbanda. S. Basilius lib. de Spiritu Sancto cap. 29. & epist. 62. in Laudibus Eusebij Neocesariensis; Nazianzenus orat. 33. S. Hieronymus epist. 65. n.24. S. Augustinus lib. de vtilitate credendi cap. 1. alijque plures, quos refert Radulphus de Riuo lib. de Canon. obseruantia propos. 6. Salmeron. tom.8. tract. 2. Nouam tamen rerum fidei illustrationem vitio verti non debere, proindèque damnandum non esse Scriptorem eam inferentem, ita vt cum dicat nouè, non dicat noua; communis est eorumdem Patrum sententia, Vincentij Lyrinensis in commonit. cap. 27. S. Ephrem serm. de transfigurat. Origenis homilia vnica in libros Reg. Chrysostomi homil.3. in Genesim; Cassiani collat.8. cap. 3.

Quinta regula. Quamuis nouæ sententiæ Theologicæ ex diligenti Scripturarum, & Patrum expensione fabricatæ, nec vlla in re conuellentes doctrinam fidei, idcircò improbari non debeant, quia ab anterioribus non sunt traditæ; tamen tam in his, quam in alijs etiam humanis disciplinis, improbanda omninò est ingeniorum quorumdam prurigo nouandi, præsertim vbi nulla ex causa, vel deficiente aliqua ratione valida, receptissimæ apud omnes retro antiquos doctrinæ contradiceretur, aut tandem ex nouitate in re philosophica, alteriusue disciplinæ naturalis propria, periculum esset oblædendi Sacram doctrinam, siue directè, siue indirectè; Vide Ioannem Gersonem tom. 1. in epistola ad Studentes Collegij Nauarræ, & in tract. de examinat. doctrin. par.2. considerat. 1.

Sexta regula. Vti de rebus, vel sensui, vel rationi omninò manifestis longas saltem quæstiones instituere, superfluum esse docent Patres, ita & temerarium, examini subijcere, quæ mentē nostram transcendunt, & tentare intelligere, quæ intelligere impossibile est. Clemens Alexandr. lib.5. Stromat. Cyrillus pariter Alexandrinus lib. de recta fide; S. Gregorius Nazianzenus orat. 1. de Theologia aduersus Eunomianos; De his solùm, inquit, disserendum est, quæ ingenij nostri modulum, captumque auditoris non excedunt; quod sequētibus deinceps exemplis probat; Ne alioqui, vt nimia vocis intentio, atque immodicus cibus, aures, & corpora labefactat, itidemque Sarcinæ viribus grauiores subeuntium humeros, ac crebriores pluuiæ terram opprimunt: ita etiam auditores, quæstionibus grauioribus, ac durioribus oppressi, atque confecti, pristinas quoque vires amittant. Et in hoc sensu debent intelligi quædam Sacræ Scripturæ, & Patrum authoritates, cum nos à rerum diuinarum cognitione, & tractatione deterrent; de illis nimirum quæstionibus, quæ intelligentiam nostram omninò effugiunt: fusiorem huius regulæ explicationem vide apud Euangelistam Bosium in Theorematibus Theologicis Theorem.5.

Septima regula. Illæ etiam quæstiones vitari debent, & pro inanibus haberi, quæ in rebus inutilibus, & supernacaneis versantur. Hæc regula colligitur ex D. Paulo in epist. ad Titum cap.3. monente ipsum, vt stultas quęstiones, & genealogias, & contentiones, & pugnas legis deuitet. Idemque passim docent SS. Patres, inter quos videndi sunt speciatim Clemens Alexand. lib. 5. Stromatum, Chrisostomus in epist. ad Ephes. cap.3. & Augustinus lib.2. de Genesi ad litteram.

Octaua regula. Quæstiones, quamuis aliàs honestę, & laudabiles, vbi ratione personarum, locorum, & temporum redduntur incongruæ, ac periculosæ, vitandæ sunt. Hanc regulam primùm docuisse videtur Christus Dominus Ioannis cap. 16. dum ait: *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo*. Paulus etiam Apostolus, quędam maiora mysteria scribit ad Hebręos cap.5. se reticuisse, quod imbecil-

becilles facti essent ad audiendum. Eamdem doctrinam, vt antiqui Patres diligenter seruarunt, ita etiam & in varijs locis illam tradiderunt, Origenes homil. 12. in Genes. Gregorius Nazianzenus loco superius citato, Augustinus tract. 33. in Ioannem cap. 12. alijque plures. Quæ autem cuique personæ, loco, & tempori sint accommodatæ quęstiones, prudenti doctorum iudicio relinquitur; consulique de illis potest prefatus Bosius in Theorematibus Theologicis.

Nona regula. Quamuis aliquæ quęstiones ad humanas scientias pertinentes laudabiliter in Theologia tractari possint, pręsertim vbi ad aliquam eius veritatem explicandam conferre possunt, vel vbi ad regulam illius corrigenda essent aliqua dictarum scientiarum errata religioni quomodocumque aduersantia; cum sit omnium illarum domina; vt plurimum tamen à Theologicis materijs debent arceri huiusmodi quæstiones, ad imitationem SS. Patrum, qui optimi fuerunt Theologi, & tamen illis sua scripta non repleruut; vt optimè notauit Carbo lib. 4. introd. in Theolog. cap. 15. Hactenus de regulis ad causam materialem spectantibus, nunc ad formalem veniamus.

Per causam formalem materiarum, seu quæstionum Theologicarum, methodum intelligo, qua pertractari debent; cum autem duplex sit methodus naturalis, potissimum scientijs deseruiens, Compositionis videlicet, qua progredimur à simplicioribus, & prioribus ad magis composita, & posteriora; & Resolutionis, qua per oppositum progredimur à magis compositis, & posterioribus, ad simpliciora, & priora. Prima sit regula. In tradenda Sacra doctrina, pertractandisve eius materijs obseruari debet methodus compositionis; patet, quia, vt methodus resolutionis est accommodatior ad artes inueniendas: nam ex notione finis artes sunt adinuentę; ita methodus compositionis est magis apta ad tradendas disciplinas, præsertim speculatiuas, inter quas primum obtinet locum Sacra Theologia. Deindè quia ars imitatur naturam, vndè cum hec in suis operibus progrediatur, vel à simplicibus ad composita, vt patet in elementis, ex quibus procedit ad mixta; vel ab vniuersalioribus ad minus vniuersalia, vt patet in generatione humana, in qua prius embrio est viuens; deindè animal; & postea homo; consequens est vt disciplina, vel ars quælibet tradenda sit methodo compositionis, progrediendo à simplicioribus & prioribus, ad magis composita, & posteriora; quod quatuor modis contingere posse docent Dialectici, de quibus vide Collegium nostrum Complutense disp. 1. Proęm. quæst. vltima.

Materijs Theologicis iuxta pręcedentem methodum per suas quæstiones, ac disputationes ordinatis; de qualibet deinceps inquirendum est primò, an sit. Secundò, quid sit, tam quid rei, quàm quid nominis. Tertiò, quotuplex sit. Quartò, propter quid sit. Ex istis enim capitibus, veluti ex quatuor fontibus omnium postea quęstionum riuuli multiplicantur, quę circa vnamquamq; rem excitari possunt: In singulis deindè quæstionibus, diligenter earum titulus explicandus est, quidque in illis controuertatur aperiendum, vbi res specialem aliquam difficultatem habent, nihil est enim, quod magis aperiat viam ad solutionē illius, & ferè seipso soluat, quam recta positio doctrinæ, & veritatis. Secundò diuersitas opinionum in quæstione proposita adduci debet. Tertiò propria authoris stabilienda est; aperiendo omnia illa principia, & fundamenta vndè efficacius probari potest. Vltimò oppositarum sententiarū obiectiones, siue argumenta adducenda sunt, & soluenda; quamuis aliqui ea primo loco proponere, & vltimo diluere soleant, quod arbitratium est.

Tandem, quatenus ad causam formalem reduci etiam potest qualitas styli,

ſtyli, q̃uo res Theologicæ tradi, aut pertractari debent. Vltima ſit regula. Præferendus eſt ille ſtylus, qui rebus de quibus agitur, exprimendis, aut explicandis magis eſt accommodatus, atque adeò ſtylus planus, & perſpicuus, non comptus, aut fucatus. Si enim docuit Seneca epiſt. 100. *Orationem ſollicitam Philoſophum non decere*; multò magis id de Theologo aſſerendum videtur, qui delectum potiſſimùm rerum, non verborum exquirere, ac de veritate pluſquam de ornatu ſatagere debet. Quamobrem ſi Theologi ſubindè vtuntur nominibus apud Latinos non ita vſitatis, quia tamen ſummè ſunt neceſſaria ad penetrandas res, de quibus diſputatur, non ſtatim ſunt faſtidiosè contemnenda; nam vt benè inquit Auguſtinus lib. 4. de doctr. chriſt. cap. 11. *Quid obeſt clauis lignea, ſi per eam id quod volumus aperire licet.*

Cum Sacra doctrina, vt ſuo loco vidimus ſit ſcientia ſpeculatiua ſimul, & practica, diuinæ enim ſapientiæ quædam impreſſio eſt, quæ eadem & ſpeculandi vim habet, & agendi; atque adeò fines, quibus omnis Theologica diſputatio, vel quæſtio circumſcribitur, ſint, primarius quidem naturæ diuinæ notio, & contemplatio per Dei potentias, virtutes, & proprietates explicata, poſtremus autem earum rerum actio, quæ ad mores ſunt, ac benè, beatèque viuendum neceſſariæ, hinc quoque ad Sacræ doctrinę cauſam finalem dicendæ ſunt potiſſimùm ſpectare, omnes illæ regulæ, quæ vtrumque promouere, vel ad vtriuſque perfectionem dirigere quomodocumque poſſunt, de quibus agetur in ſequentibus capitibus, viderique poteſt Euangeliſta Boſius Theorem. Theolog. 6.

CAPVT II.

Afferuntur regulæ pro Theologia potiſſimùm Speculatiua.

QVamuis Sacra doctrina ſit vnus ſimplex habitus, quia tamen per ordinem ad diuerſos fines, diuerſave quæſtionum genera, alterum cognitionis, alterum actionis, diuerſas etiam ſuſcipit denominationes Speculatiuæ, & Practicæ, ſiue moralis, ideò in hoc capite agemus de regulis illius, ſecundum primum munus, hoc eſt, provt ſe extendit ad quæſtiones primi generis, quarum finis eſt ſcientia, vt ſi quæratur, Pater, & Filius ſint ne vnum principium Spiritus Sancti, an duo? Diuinæ perſonæ an proprietatibus relatiuis, an abſolutis cõſtituantur? Cum autem huiuſmodi quæſtiones ſint in multiplici differentia; Aliæ enim ſunt naturales, quarum videlicet, cur ita ſint, ratio lumini naturæ peruia reddi poteſt; aliæ ſupernaturales, quæ ex ſupernaturalibus tantùm principijs definiuntur; aliæ mediæ, quę partim ex ſupernaturali principio, partim ex principio naturali pendent. Primi generis ſunt, Num Deus ſit immenſus, num immutabilis, &c. Secundi, Num Deus ſit Vnus, & Trinus; Tertij, ſit ne Chriſtus riſiuus? habeatne duas voluntates, & intellectus duos, duaſque item vtriuſque potentiæ operationes. Rurſus Theologicarum quæſtionum, aliæ ſunt, quę ad fidem ſpectant, vt, an in Chriſto duæ ſint naturę, vnavè duntaxat perſona? an anima eius ſimul atque Verbo fuit vnita, Deum clarè viderit? Aliæ vero ſunt, quæ in vtramq; partem & ignorari, & negari ſine fidei iactura poſſunt; quarum plura refert exempla D. Auguſtinus lib. 2. de peccato Originali contra Pelagium, & Cęleſtium cap. 23. V. g. cum quęritur, qualis, vel vbi fuerit Paradiſus, vbi conſtituit Deus primos parentes, cum tamen fuiſſe illum Paradiſum Fides Chri-

Christiana minimè dubitet. Vel cum quæritur, vbi sint nunc Elias & Enoch, quos tamen non dubitamus in quibus nati sunt corporibus adhuc viuere, &c. Ex his tamen quæstionibus obseruandum est, nonnullas esse, quarum agitatio, liberave inter Doctores discussio subindè prohiberi debet, quod inducant diffidia, atque tumultus in populis, cuiusmodi fuere quæstiones de auxilijs diuinæ gratiæ, vltimis his temporibus. Cum denique non eodem modo differendum sit de ijs, quæ quærimus vt exponamus, ac de alijs, quæ quæruntur, vt demonstremus vltimo loco, quæstiones Theologicæ diuidi possunt in expositiuas, & demonstratiuas.

His prænotatis, præter iam adductas superiori capite regulas communes tractandis omnibus materijs, & quæstionibus Theologicis; quæ sequuntur magis sunt propriæ Speculatiuis, Prima, cum Sacra Theologia procedat ex reuelatis, ita vt formalis ratio sub qua eius sit virtualis reuelatio, hoc est principia fidei in formam syllogisticam redacta, tam in his, quæ naturaliter, quã in his, quæ diuinitus, seu supernaturaliter solùm cognosci possunt, verus Theologus eas potissimum probare debet, ex dictis principijs verbo Dei adæquatè contentis, tum scripto, tum tradito, vt suo loco fusè explicuimus.

Secunda, cum nulla res, aut conclusio afferenda sit à vero Theologo, quã non probet, aut non possit probare ex verbo diuino adequatè, vt dicebam, contento in Scriptura, & traditione, debet in primis omnia Sacræ Scripturæ loca huic fini accommodata perspecta habere, & adducere, nec non explicare, quinam certi, quinam probabiles, & quinam improbabiles illorum sensus, siue literales, siue mystici, siue accommodatiuj; quos duos vltimos certum est, valdè etiam familiares fuisse Patribus, in homilijs, sermonibus, alijsque tractatibus coram populo maximè habitis, atque adeò non omnia Scripturæ loca, eorumque sensus esse æquè alicuius conclusionis probatiua. Et quia etiam negari non potest, quin à propria significatione multæ Scripturæ voces detorquendæ sint, si à veritate alienas haud esse nolimus, id quoque ex ipsamet Scriptura, quantum fieri potest, declarandum est, varijs inter se collatis eius locis, nec à propria vnquam significatione recedendum est, nisi aliquod sequatur absurdum, vnusque Scripturæ locus sit alteri contrarius, aut his deficientibus afferatur aliqua ratio reipsa probabilis, cur adhuc à propria verborum eius significatione recedendum sit. Quod si huiusmodi significatio nobis ex Scriptura innotescere non posset, tunc à Philosophis, aut alijs, communique modo loquendi desumi etiam posset, dummodo non obstaret vnanimi Patrum consensui, vel Ecclesiæ definitioni, aut vsui.

Similiter, quia deficiente Scriptura, sæpè recurrendum est ad sacras traditiones, pro alicuius veritatis probatione, quæ formaliter, aut expresè in Scriptura non habetur, debet quoque verus Theologus in Sacra doctrina tradenda, perspectam habere vniuscuiusque qualitatem, an nimirum diuina sit, vel Apostolica tantùm, aut Ecclesiastica iuxta regulas à nobis traditas secundo huius operis tom. lib. 3. sect. 3. Cum autem huiusmodi traditiones nobis aliundè non constent, quam ex Sanctorum, ac veterum Patrum authoritate, Summorum Pontificum, ac Conciliorum decretis, Ecclesiæ consensu, & vsu, diligenter etiam Theologus ista omnia explicare, & adnotare debet, qualia sint, iuxta regulas à nobis adductas to. 3. vbi aliquã ex traditione veritatẽ probare intẽdit; vt v. g. si in illa declaranda, S. Pontifex se tanquã priuatum, an verò tanquã publicũ gesserit Ecclesiæ doctorem, ac magistrum; an illam ad totam direxerit Ecclesiam, an verò ad particulares Prouincias, vel personas; an verba ab illo

apposita

apposita significent voluntatem obligandi fideles omnes ad fidem ei præstandam, & sic de alijs. Si Concilia eamdem veritatem docentia verè fuerint plenaria, vel vniuersalia, aut si particularia, an à Summo Pontifice, aut aliquo vniuersali Concilio expresse fuerint approbata; an tradita tanquam de fide; an ex professo, aut incidenter solùm, & ad maiorem alicuius alterius veritatis explicationem. Si Ecclesiæ sensus, consensusque sit vniuersalis, adeò vt omnes planè Doctores Catholici in tali veritate, vel opinione conueniant; sique ita sit, an illam amplectantur solùm, vt probabilem, vel probabiliorem; an verò tanquam certam; an ex pietate duntaxat. Tandem si Sancti, ac veteri Patres vnanimiter etiam consentiant in aliqua veritate, tanquam ad fidem pertinente, an verò discrepent; vel vnanimiter interdum consentiant in illa, tanquam in magis probabili, aut certa; an ex proprio sensu loquantur, vel tantùm permissiuè, quia ad institutum tunc parum vtilis est, aut non discutienda; an negent solùm aliquid ad sensum hereticorum, quod tamen secus in alio sensu verum est, nec non ex hæresum odio in alterum extremum eorum verba videantur inclinare; hæc enim, & similia, vbi se offert occasio, sunt diligenter aduertenda.

Tertia regula est, ista principia fidei, Scriptura, & traditione adęquatè comprehensa, ita esse media Theologica, vt tamen Theologus prudenter vti possit ad suas conclusiones probandas, multis rationibus congruentibus, etsi enim multorum, quæ fecit Deus, alia ratio à priori, aut primaria adduci non possit, quam ipsamet diuina voluntas, ratioque illa credendi sola sit diuina reuelatio, certum est tamen multum iuuare ad eorum explicationem præfatas rationes, humanumque intellectũ disponere ad illis assentiendum. Huiusmodi autem rationum congruitas duplex distingui potest in Theologicis, sicuti & indecentia: Ex quibus prima sic probat aliquid decere Deum, vt si oppositum fieret, nullum planè inconueniens secundum rectam rationem appareret; & hac diei potest explicari potius res facta, quam ipsam probari, vt quod Deus homo factus sit, passus, & mortuus pro nobis, tali tempore, talique loco; creauerit mundum cum hoc rerum ordine, & hoc potius tempore, quam alio; nam si aliter voluisset, ac fecisset, congruum, aut decens, non autem indecens fuisset. Sic ergo supponuntur prius diuina mysteria, factaque, ac deindè ad illa persuadenda excogitantur aliquæ congruentiæ; aliæque excogitarentur, si res secus haberent; vt v.g. plures excogitatæ sunt à Theologis, cur Deus non Angelicam, aut aliam, sed humanam naturam de facto assumere voluerit. Secunda autem congruitas sic ostendit aliquid decere Deum, vt oppositum secundum rectam rationem indecens, vel inconueniens videretur: & rationes in illa fundatæ, in moralibus Theologicis, & in rebus dubijs, etiam ad fidem, moresque spectantibus, quæ per Scripturã expressæ non sunt, nec ab Ecclesia definitæ, nobisque ad credendum propositæ, probabilia duntaxat faciunt argumenta pro multis opinionibus, aut magis probabilia, si efficaciores illæ fuerint; vndè cauendum est prudenti Theologo, ne huiusmodi rationes pro demonstratiuis haberi velit aut credat, ex eo quod illæ, quæ adducuntur, aut ipse adducit pro aliqua opinione soluantur, eam propterea reddi improbabilem, nisi aliundè sit talis; siquidem omnis syllogismus, qui non est demonstratiuus, per se solubilis est.

Quarta regula est, in his rebus, vel quæstionibus, quæ in vtramque partem salua fide disputari possunt, haud immorandum esse, maximè si è Theologiæ principijs vna, aut altera, nec probabiliter, nec congruenter probari potest; aut esset quid solùm ad Metaphysicam subtilitatem pertinens; per se enim

enim illud est extraneum, & aduentitium Theologo. Quia autem plerumque eiusmodi quęstiones excitari solent circa potentiam diuinam, an nimirum aliquid facere possit nec ne, nisi manifesta appareat repugnantia, potius standum est pro omnipotentia diuina, tum quia certi per fidem sumus, aliqua ab ea fuisse facta, quæ impossibilia cæteroquin iudicaremus, tum quia cũ infinita sit, credere debemus multa in eius thesauris contineri, quæ comprehendere minimè valemus.

Quinta, vt in explicandis rebus facilibus, aut inutilibus terere tempus superfluum est, ita aliquando temeritate non vacat, aut imprudentia, aliqua perscrutari altiora, & fortiora nobis, vt ait Eccles. 3. sed potius ingenuè fatendum est reddi non posse rationem adęquatam illorum, eorumque intelligentiam beatis spiritibus relinquendam esse. Huiusmodi est, ex Diuo Athanasio, quęstio illa, de modo, quo Filij generatio à Spiritus Sancti processione differat; ex alijs concordia certitudinis diuinæ prouidentiæ cum indifferentia, & indeterminatione liberi arbitrij humani. Quapropter Rufinus exposit. in Symbol. Apost. rectè ait: *Caueamus, ne dum inaccessæ lucis fulgorem pertinacius scrutari volumus, exiguum ipsum, qui nobis diuino munere est concessus aspectũ perdamus*; Sanctus autem Augustinus multoties humiliter fatetur se aliqua credere, quia in sacris litteris continentur; quomodo autem illa fiant, vel fieri possint, se ignorare, vel plenè non capere. Vndè ait D. Petrus 1.3. paratos quidem nos semper esse debere ad satisfactionem omni poscenti nos rationem de ea, quæ in nobis est spę, & fide; *sed cum modestia, & timore*; quia ita, supposita semper fide diuinorum mysteriorum nostræ religionis, debemus ex vna parte conari illa explicare, vt tamen ex alia ingenuè fateamur multa esse, ad quorum plenam intelligentiam, adęquatamque rationem reddendam pertingere non possumus. Sic Diuus Bernardus epist. 190. quemdam doctorẽ in hac re peccantem his verbis eleganter reprehendebat. *Dum paratus est de omnibus reddere rationem, etiam quæ sunt supra rationem, & contra rationem præsumit, & contra fidem. Quid enim magis contra rationem, quam ratione rationem conari transcendere? & quid magis contra fidem, quam credere nolle, quidquid non possis ratione attingere.*

Sexta regula, vbi occurrunt aliquæ fidei controuersiæ, aut quæstiones cum hæreticis agitandæ, vt fideliter, ac sincerè eorum opiniones sunt adducendę, ita quoque diligenter notanda, quæ ipsi Catholicis opinionibus appingunt falsa, vel demunt, & addunt, ad verum earum sensum peruertendum, vt clarè appareat de quo sit quæstio, aut in quo consistat verum difficultatis punctum; Non semper sunt spernendæ argumentationes quęcunque hæreticorum contra fidei dogmata, nisi essent apertè absurdæ, multoque minus vtendum acerbis, mordacibusque responsionibus, sed solidæ semper, & idoneæ sunt adhibendæ, libenterque etiam concedenda illis, quæ veræ fidei minimè repugnant, vt sic facilius ad illam adducantur, dum pro veritate eius solum vident nos pugnare. Aliud tamen extremum vitandum est nonnullorum plus nimio argumentationes hæreticorum extollentium, cum enim certissimæ sint fidei veritates, indubitatum quoque esse debet, falsa esse omnia ipsorum contra illas argumenta, etiamsi interdum alicui eorum non ita plenè, vel adęquatè satisfieri videretur; in rebus enim fidei, & à Deo dictis, nos minimè ad probandas illas obligamur; sed satis est, si illas dignè, ac probabilibus solutionibus, non autem semper euidentibus defendamus, non conuincamus quidem, nec conuincamur tamen, cum saltem omnes Catholicorum responsiones collectiuè sumptæ semper præualeant omnibus aduersariorum obiectionibus contra fidei veritates, indeque

deque illas amplecti deberent, nisi pertinaces essent, suaque superbia præpedirentur. Tantùm de præcipuis regulis à Theologo obseruandis in tractando præsertim materias, vel quæstiones Theologicas ad speculationem pertinentes.

CAPVT III.

Proponuntur regulæ pro Theologia morali, seu ad praxim spectante.

PRæter iam adductas in præcedentibus capitibus regulas, quæ etiam Theologiæ morali, eiusque quæstionibus tractandis accommodari possunt, sunt insuper aliæ magis ipsi propriæ. Prima est, quod cum Theologia moralis non minus innitatur, quam speculatiua diuinæ reuelationi, Theologus Moralis debet potissimum vti Sacræ Scripturæ locis ad mores pertinentibus, tum ijs, quæ circa illos ex Sacra habentur traditione, & in Sacris Canonibus continentur, historijsque Ecclesiasticis, in quibus narrantur plures actiones laude, & vituperio dignæ, multaque exempla, quæ vim persępè habent doctrinæ, praua quidem ad ea fugienda, proba verò ad amplectenda; diligenter tamen aduertere debet, & monere, non omnia semper esse sequenda, quæ tribuuntur viris aliàs sanctissimis; tum quia non omnes eorum actiones fuerunt laudabiles, imo aliquę recensitæ in historijs etiam sacris fuerunt peccaminosæ, & quandoque non leuiter; præterquam si fuerunt laudabiles, aliæ forsan exerceri potuerunt ab illis laudabiliores, vel illas exercuerunt è peculiari diuina inspiratione, siue diuino impulsu, ideoque semper in exemplum trahi non possunt, aut demum circumstantijs quibusdam positis laudabiles fuerunt, defectu quarum, alias non sunt tales; quæ omnia sunt accuratè notanda, vbi se se in aliqua quæstione morali tractanda offert occasio, probarique aliquid debet exemplis. Ex hac regula sequitur optimum fore, si Theologus Moralis ea quæ habentur ex fide, vel deducuntur etiam probabiliter ex ijs, quę de fide, spectantia ad mores primò proponat, & seponat ad illis, quæ lumine naturali tantummodo habentur; illis autem addat postea si quæ sint, tum rationes naturales, tum Philosophorum authoritates, nec non etiam legum Ciuilium, qui enim illarum libros conscripserunt in Morali philosophia, quam maximè versatos fuisse, & excelluisse supponimus. De quo vide dicta tom. 4. sect. 7. cap. 25.

Secunda, vbi agitur de peccatis exactè explicet, quænam sint venialia duntaxat, & quænam mortalia; tum quę sint intrinsecè mala, ita vt nunquam prorsus liceant, & à Deo indispensabilia sint, ac semper prohibita, quia semper mala; deindè quæ mala solùm, quia prohibita, & quomodo adueniente aliqua circumstantia reddi licita possunt, imo & potest quandoque aliquis teneri ad illud exercendum. Horum enim, & similium accurata explicatio, quam sit necessaria, quantique momẽti ad animarum quietem ex se constat.

Tertia regula est, eaque potissima, quod in omni materia, quantum fieri potest declaretur, & distinguatur, quęnam opinio sit certa, & euidens, quęnam tuta, & probabilis, & inter probabiles, quęnam probabilior, aut minus, ac vix probabilis, quæ probabilis speculatiuè, quæ practicè, quæ in foro interno, quæ in externo, quæ scandalosa actiuè, quæ passiuè; quæ impia positiuè, quæ negatiuè; quæ non pia, aut minus pia; quæ dubia negatiuè, quæ positiuè; quæ opinio fundata in pręsumptione, quæ in veritate, & sic de alijs. Et quamuis aliquis vni sententiæ tanquam magis certæ, aut probabili adhęreat, propter rationes, quas sibi suadet esse tales, aliorum tamen opiniones non facilè damnet tanquam improbabiles, sed potius si illæ verè sint probabiles, aut ab

intrin-

intrinseco, aut ab extrinseco, sincerè id aperiat, non solùm, quia, quod vni videtur esse magis probabile, alteri plerumque non est tale, aut etiam secundum satis communem Theologorum sententiam, potest quis relicta sententia alijs, sibique etiam probabiliori visa, aliam verè probabilem sequi, verùm etiam quia, licet quis relicta sibi magis probabili, cuique ita adhæret sententia, non possit, vt docent alij Theologi, mihique probabilius videtur, modo statim explicando, aliam sibi minus probabilem in operando sequi, potest tamen docere illam esse talem, vbi verè est talis, vt possint illam sequi lectores, si sibi magis opportunam eam existimauerint, quibusque etiam opposita magis probabilis videri potest.

Dixi probabilius esse, eum qui adhæret vni sententiæ tanquam sibi probabiliori, non posse, ea relicta, sequi in operando alteram sibi minus probabilem, quod sic interim breuiter explico, donec fusius, & quo existimo, facilè componi posse plus nimio acriter versantem in hac re controuersiam inter modernos Theologos, aut reduci ad quæstionē de nomine. In primis enim omnes concedunt absolutè licere amplecti in operando opinionem aliquam verè probabilem; secundò admittere debent, qui sic operantur, operari etiã cum opinione sibi magis probabili, quis enim est ille, qui suam propriam opinionem cæteris non præferat, atque adeò probabiliorem, magisque rationabilem cæteris illam non credat? totũ igitur difficultatis punctum, aut pondus ad hoc reduci debere videtur, an qui vni sententiæ tanquam sibi probabiliori adhæret, possit illa relicta aliam sibi minus probabilem licitè in operando sequi, quidquid sit an in docendo, vel consulendo.

Pro cuius intelligentia notandum est, duplicem dari certitudinem moralem. Vna est, quæ omnem prorsus excludit formidinem, qua ratione nonnulli Theologi, communiter tamen reiecti, vt diximus superiori tomo lib. 4. sect. 11. cap. 15. docuerunt aliquos ad tantam certitudinem moralem suæ iustitiæ, secundum viam ordinariam peruenire posse, vt absque vlla formidine, & temeritate non minus possint tunc esse certi de sua gratia, quam dari in rerum natura Romam, & Constantinopolim.

Altera certitudo moralis est, quę tollit quidem animi anxietatem, siue hæsitantiam, & fluctuationem inordinatã, atque adeò sufficit ad pacem conscientiæ tribuendam, non tamen ad omnem prorsus formidinem excludendam: qua certitudine, quæ non transcendit limites certitudinis probabilis, & coniecturalis, secundum communem opinionē omnium Theologorum contra paucos alios loco statim citato adductos, iusti secundum viam ordinariam possunt esse certi se esse in gratia. Etsi igitur prima certitudo moralis minimè requiratur ad licitam operationem, nec etiam illam requirunt, qui docent illicitum esse sequi opinionem minus probabilem, probabiliori relicta, aliàs iusti, qui secundum viam ordinariam illam habere non possunt de propria iustitia, ad sumendam tamen Eucharistiam necessaria, tuta conscientia ad illam accedere non possent; nemini tamen dubium esse potest, quin altera certitudo moralis tollens animi anxietatem, siue hęsitantiam, & fluctuationem inordinatam, pacemque conscientiæ tribuens, necessariò requiratur ad benè moraliter operandum, cum sine tali certitudine non possit conscientia non esse dubia practicè; qui autē Doctores asserunt licitum non esse sequi opinionem minus alieni probabilem, abiecta sibi magis probabili, nullam aliam certitudinem ad benè moraliter operandum requirunt; & quia existimo illam reperiri non posse in hoc casu, qui enim suam opinionem magis probabilem esse, quam aliam persuasum habet, non potest non hęsitare, & fluctuare in illa relinquenda, atque adeò operari

non

non potest cum conscientia debitè pacata, ideò in hoc sensu puto quoque, non licere operari cum opinione minus operanti probabili, probabiliori sua relicta; quod si tamen cum illa opinionum pugna saluari posset debita conscientiæ pax, excludique omnis prorsus animi anxietas, siue hæsitantia, & cum illa dubium, omnes concedere deberent, licitum esse, relinquere opinionem magis probabilem, pro minus sibi probabili, cum etiam doctores, qui oppositum docent, existiment ad benè operandum moraliter, sufficere certitudinem moralem, quæ omne animi dubium, omnemque conscientię anxietatem, & hæsitantiam excludat, non autem omnem prorsus formidinem.

Quarta, & vltima regula. Inter duo extrema nonnullorum conscientiæ habenas nimium laxantium, cum tamen ex Christo Domino arcta sit, & angusta ad vitam ducens via; & aliorum fingentium laborem in præcepto, peccataque multiplicantium, vbi non sunt, cum etiam ex eodem Christo, iugum eius suaue, & onus leue sit, verus Theologus Moralis medium, quantum fieri potest, pro viribus tenere debet, tàm in docendo, quàm in consulendo, nec pręter certa iam peccata, & quæ in confesso sunt apud omnes Theologos, alia, maximè mortalia, quæ nec sufficienti authoritate, aut ratione probentur, obtrudere, atque ita animas, quarum salutis cupidissimus esse debet, illius amittendę periculis obijcere. Etsi enim verissimum sit, posse Deum, qui summum ius habet in creaturas, prohibere quædam in omnibus circumstantijs, quæ ex genere suo videntur esse leuia, & indifferentia ad bonum, & malum, propter altissimos, nobisque incognitos fines, sed nominatim ad obsequium in hoc à rationalibus creaturis habendum, inter quæ numerari potest esus pomi Adamo vetitus, ex cuius diuini pręcepti transgresione omnia deinceps mala in genus humanum deriuarunt; an dentur tamen modo huiusmodi diuina iura merè positiua, nec non humana in omnibus obligantia circumstantijs, Theologus moralis diligenter examinare, & discernere debet, nec ita facilè peccata mortalia multiplicare.

CAPVT IV.

Regulæ pro Theologia Parænetica.

§. I.

CVm per Thelogiam, quam superiori sectione cap. 9. Paręneticā, siue Exhortatoriam appellauimus, nihil aliud intelligatur, quàm ipsamet secundum munus tradendi potissimum è suggestu suas veritates, taliter, vt non modo vera esse quæ proponit, credant auditores: sed (quod est difficilius) vt quæ vera, & hònesta crediderint, exequantur: quare etiam vocatur Rethorica, & Eloquentia Sacra, Ars concionatoria, rectauè ratio concionandi, satis indè patet ob hanc inter concionandi, & orandi munus affinitatem, si quidem proprium Rethoricæ officium est dicere appositè ad persuasionem, finis vero persuadere dictione; vt libro huius operis tertio sectione 7. cap. 5. docuimus, satis inquam patet, non aliam in Theologia Parænetica methodum obseruandam esse, non alias regulas, prętereas quas ipsa pręscribit Rethoricees, relicto tamen fucato illo, & artificioso loquendi modo, quem interdum in ea reprehendunt Sancti Patres, vocauitque D. Paulus 2. Timoth. cap. 4. prurientem auribus: sicut enim gloriatur Hieronymus Vida superioris sęculi Poeta clarissimus, quod sordidas Gentilium Poetarum musas ad Iordanem fluuium adduxerit, easque ibi ab omni illorum spurcitia expurgatas Euangelicæ Historiæ, Diuorumque laudibus celebrandis consecrarit; non est cur etiam Rethorices, eiusque præcepta, & regulæ ad concionandi officiū accom-

accommodari non possint: Et sicut nemo in Theologicis disputationibus cū laude versari potest, nisi disputandi arte instructus sit, vt suo loco supra satis demonstrauimus: ita vix quisquam, inquit Granat. lib. 1. de rat. concionandi cap. 2. nisi vel diuino spiritu afflatus (quod Prophetis, & Apostolis contigit) vel felicissimo ingenio, & ad dicendum appositio natus sit (quod rarissimis accidit) sine huius artis præsidio felix esse in concionando poterit: vel certè multo ornatiùs, atque commodius munus hoc administrabit, quisquis diligenti eius studio fuerit adiutus.

Vt autem in prędictis regulis assignādis ordinatè procedamus, notandum est huius Theologiæ finem non esse, scire pręcisè, sed agere, atque adeò non esse speculatiuum, sed practicum, Morali Theologiæ persimilē, ab eo tamen distinctum, quod moralis tantùm doceat in scholis quid agendum; at hæc illud insuper suadeat, non in scholis apud eruditos, sed in concione apud populum appositè dicendo. Quamobrem sicut iuxta communem disciplinarum practicarum methodum, quatuor potissimum in illis tradendis considerari solent, nempè finis, materia, officia, & instrumenta; ita per ordinem ad hæc quatuor, quæ etiam sunt præcipuè Rethoricæ partes, videlicet finē ad quem concio collimare debet, materiam ex qua conficienda est, officia, quæ præstare debet concionator, & tandem instrumenta, quibus aptam construat sibi concionem, sequentes proponemus regulas, vel pręcepta; præmissis prius aliquibus ad personam ipsius concionatoris spectantibus, quæ proindè potius se tenent ex parte operantis, quàm operis.

1. Nullus nisi natura aptus concionandi munus, aut officium assumere debet: sicut autem ad hoc sufficit mediocris in eloquendo facultas, vel facundia, ita è contrario, qui verba exprimere non posset, aut etiam loquendo risum excitaret, censendus esset omninò ineptus.

2. Naturalis hæc aptitudo excolenda est Rethorices studio, omnisque insuper generis doctrina, & sapientia.

3. Qui sic à natura, & ab arte comparatus est, nisi vocatus & missus concionari debet: admonente Hieremia cap. 23. *Prophetæ currebant, & non mittebam eos*: & D. Paulo ad Romanos 10. *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* tutus ergò ad hoc officium aditus obedientia est.

4. Cum Sacri Concionatores pro Christo legatione fungantur tanquam Deo exhortante per eos, magnam indè sui ministerij æstimationem habere debent, nec non etiam ex eius fine, qui est diuinæ maiestatis gloria, & pereuntium animarum salus.

5. Quantùm dignitatis, & vtilitatis, tantùm etiam difficultatis in hoc munere esse debent apprehendere; dicente D. Gregorio, maius esse miraculum prædicationis, & orationis solatio peccatorem conuertere, quàm mortuum carne suscitare.

6. Indignissimum cum sit, vbi de summa conditoris gloria, & sempiterna animarum, siue vita, siue morte agitur, quod homo tantarum rerum momenta negligens, solam gloriæ suæ, proprijve commodi rationem habeat, proptereà in Ecclesiaste magna intentionis puritas, & rectitudo desideratur. *Illius Doctoris*, inquit D. Bernardus serm. 59. in Cantica, *libenter audio vocem, qui non sibi plausum, sed mihi planctum moueat*.

7. Quamuis exquisita doctrina, atque eruditio ad concionandi officium sit magis necessaria, quam vitæ puritas, & Sanctitas, docente Christo Domino Matth. 23. *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi: omnia ergo quæcumque dixerint vobis, seruate, & facite: secundum opera verò eorum nolite facere, dicunt enim, & non faciunt*: Nihilominus tamen si doctrinæ motum integritas, & innocentia accedat, dictu

mirum

mirum est quantum eiusmodi accessione non solùm doctrina iuuetur, charitas enim intrat, vbi plerumque scientia de foris stat, verùm etiam facilius ab illa populus persuadeatur; datur siquidem voci concionatoris vox virtutis, si quod suadet, prius sibi illud persuasisse cognouerit. Efficacior enim operis, quam oris vox est.

8. Si cócionandi munus ad eos potissimum pertinet, qui vna cum doctrina firmas in virtute radices egerunt, consequens est vt nemo, nisi iam ætate aliquantulum prouectus, illud feliciter obire possit, saltem loquendo secundum legem Dei ordinariam.

9. Attenta non minus huius operis dignitate, quam difficultate, requiritur ad illud rectè obeundum, singulare etiam sanctę orationis studium in Concionatore; sic enim ait D. August. in 4. de doctr. Christ. *Prædicator laboret, vt intelligenter, vt libenter, vt obedienter audiatur*: & hoc se posse magis pietate orationum, quàm sermonis facultate non dubitet, vt orando pro se, ac pro illis, quos est allocuturus, sit prius orator, antequam doctor: & ipsa hora accedens, priusquam exerat proferentem linguam, ad Deum leuet animam sitientem, vt ructet quod biberit, aut quod impleuerit effundat.

10. Ecclesiastes potius breuitati consulere debet, quam prolixitatem in dicendo affectare; vel enim aptè dicit, vel ineptè, si secundùm, quantumuis per breue tempus, semper tamen nimis prolixus videbitur, si primùm, etiam boni, & delicati cibi satietatem ingerunt: cuius rei euidens est argumentum, quod nullus de breuitate, omnes autem ferè de nimia Prędicatorum prolixitate conqueri solent; præsertim vbi singulis per Quadragesimã, aut Aduentum diebus sermo habendus est.

11. Concionator haud vana efferatur iactantia, vel superbia, cum se rectè prædicasse cognouerit, vel sui laudes audierit; memor illius Apost. 1. Corinth. 13. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam, nihil sum*; quodque in nouissimo magni Iudicij die multi dicent Matt. 7. *Nonne in nomine tuo prophetauimus, & dæmonia eiecimus*; quos Deus ignorabit, nec amplius cognoscet.

12. Tandem Concionator peculiarem quemdam amicum, aut etiam plures debet habere, quos consulat, & à quibus diligenter inquirat, nunquid in aliquo deficiat, cum animo corripiendi seipsum.

Materia alicuius artis cùm ea sit, in qua talis ars, & facultas, quæ conficitur ex arte, versatur: meritò eas res in quibus versatur ars, & facultas oratoria, materiam artis Rethorices appellare possumus: Has autem res cum alij plures, alij pauciores existimauerint; Aristotelis sententiam libenter amplectimur, qui tribus in generibus rerum positum esse Rhetoris officium putauit, demonstratiuo, deliberatiuo, iudiciali. Demonstratiuum est, quod tribuitur in alicuius certę personæ laudem, aut vituperationem, vndè respicit pręteritum, quodque honore, vel è contra dignum est vituperio. Deliberatiuum, siue suasorium est, quod positũm in disceptatione, vel consultatione, habet in se sententiæ dictionem, vndè respicit futurum, quodque est vtile. Iudiciale est, quod positum in iuditio, habet in se accusationem, & defensionem, vel petitionem, & recusationem, vndè respicit præsens, quodque iustum est.

His tribus causarum generibus addi potest quartum, Græcè Didascalion dictum; in quo nec laudatio, vt in demonstratiuo, nec accusatio, aut defensio, vt in iudiciali, nec persuasio, vt in deliberatiuo, locum habent, sed mera alicuius loci Scripturæ, vel mysterij fidei expositio, & explicatio; etsi enim interdum in ea misceantur aliqua ad mores pertinentia, hoc tamen fit veluti per accidens, & minus principaliter. Vndè ratione dictorum finium per se

Artis Concionatoriæ materia primum diuidi potest in Didascalicam, quam aliqui cum addito materiam Euangelij nominant, & non Didascalicam, quæ simpliciter materia dicitur, & continet sub se tria dicta orationis genera; vel materias. Si enim in concione agitur de aliqua simplici materia, v.g. de ieiunio, de humilitate, hæc pertinet ad Deliberatiuam; si laudetur aliquis Sanctus, ad Demonstratiuam siue Encomiasticam, si denique aliqua refellatur hæresis, ad Iudicialem. Verùm quia Sacri Concionatores, preter Rethores habent, quod de his omnibus tractare possint, depromendo ea ex Euangelio, Scripturavè currenti, & hoc duobus modis, interdum videlicet adducto vno solo Euangelij loco, & aliquando toto etiam Euagelio; hinc nascuntur pro Canonibus alia sex materiarum genera. Primum vbi super vnum Euangelij, Scripturævè passum, vna etiam simplex materia pertractatur; secundum vbi ex toto Euangelio; tertium vbi laudatur aliquis Sanctus, ex vno pariter Euangelij loco; quartum applicando ipsi omnes illius clausulas; quintum vbi vnico Euangelij testimonio refellitur aliqua hæresis; sextum ostendendo omnes eius passus contra illam pugnare.

Sub materia, siue genere didascalico, habente vt diximus pro suo fine principali litteralem, aut mysticam alicuius loci Scripturæ interpretationem, tria alia continentur: Primum quando vna pars, aut totum etiam, quod occurrit Euangelium exponitur in varios sensus, allatis insuper diuersis doctorum sententijs, ac opinionibus: secundum, quando omnibus Euangelij partibus, vel clausulis vtimur, ad maiorem vnius duntaxat principalis dilucidationem. Tertium, quando concurrentibus duobus Euangelijs vno feriæ, altero festi; aut Euangelio, & Epistola, adhibemus vnum ex illis textibus ad explicationem alterius, vel in parte, vel in toto. Sic in vniuersum duodecim sunt Artis Concionatoriæ materiarum genera, nullum enim est aliud, quod ad ista facilè reduci non possit; V.g. conciones pro defunctis ad demonstratiuum, siue encomiasticum; pro festis, quibus fidei aliquod mysterium celebratur, ad Didascalicum, si principaliter sistatur in explicatione illius modo veluti scholastico; ad deliberatiuum verò, siue suasorium, si illo breuiter duntaxat explicato, auditorum ædificatio magis intendatur: in eiusmodi enim generibus, quando inter se miscentur, pro illorum distinctione, attendendum est ad principalem vniuscuiusque finem, nec non etiã pro regulis asignandis.

Quamuis in oratoria facultate aliqui eius officium, & finem confundant, distinguntur tamen inter se, quod in officio quid fieri, in fine quid officio conueniat, attendatur: siue, quod idem est, officium sit id, quod facere debet orator, videlicet dicere appositè ad persuadendum; finis verò illud cuius causa facere debet, nempè persuadere dictione: vt si medici officium dicatur esse curare appositè ad sanandum; finis, sanare curatione.

Cum autem eorum, quæ ad finem aliquem comparandum instituta sunt, ratio ex eo sumenda sit, facilè intelligetur ex fine oratoris, siue concionatoris, qui est persuadere dictione, quodnam sit eius officium, siue quid efficere, quasque res, siue partes habere debeat. Primum enim vt appositè ad persuadendum dicat, oportet eum docere, flectere, & delectare. Vbi enim Dialectico, qui rei dubiæ fidem facere contendit, sufficit vt doceat, hoc est, vt argumentis, quid voluerit, euincat; debet insuper orator ad aliquid agendum excitare, atque adeò non solùm argumentis probare, sed etiam orationis venustate, & rerum varietate delectare, affectibusque auditores concutere. Vndè etiam quinque communiter assignantur oratoris, siue orationis, qua munus suum orator exequitur, partes,

tes, nempè, Inuentio, Dispositio, Elocutio, Memoria, & Pronunciatio.

§. II.

De inuentione prima Theologiæ Paranetica, siue Artis Concionatoriæ parte.

INuentio est excogitatio rerum verarum, aut verisimilium, quæ causam probabilem reddant: sub qua iterum tres aliæ orationis partes distingui possunt, nimirum expositio, argumentatio, & amplificatio, omnes enim hominés oratione, aut simpliciter mentem suam, vel id quod gestum est, vel geri potest exponunt: aut probant argumentis, & rationibus, quibus rei dubiæ fidem facere conantur: aut denique ad motum animi excitandum illā amplificant. Etsi autem communia sint probandi, atque amplificandi loca, & argumenta, inter se tamen differunt primò; quod argumentatio ad omnia quæstionum genera se extendit, in quibus quærimus, sit ne res, an non sit, quid sit, qualis item sit, & cuius rei gratia talis sit, & multa his similia. Amplificatio verò ad certa quæstionum, siuè propositionum genera contrahitur; in quibus de sola rei magnitudine, & amplitudine quæritur; hoc est cum ostendere nitimur aliquid esse in genere suo vehementer amabile, detestabile, formidandum, optandum, lætum, triste, & his similia: vndè amplificatio velut quædam species argumentationis est, siue argumentatio ad certum genus contracta. Differunt insuper diuersa argumentorum tractandorum ratione; argumentatio enim syllogismis vtitur, hoc est, genere orationis in orbem quodammodo redacto, licet fusius orator, quàm dialecticus illud tractet; amplificationis autem oratio expositioni, & enumerationi, quàm argumentationi similior est. Postremò differunt etiam fine: quatenus argumentationis est, fidem facere, & intellectum ad assensum vi argumentorum perducere; amplificationis autem, non solùm intellectum conuincere, vt rem esse in suo genere maximam credat: sed etiam voluntatem ad amandum, vel detestandum, vel in quemuis alium affectum inducere.

Cum autem omnis tàm argumentandi, siue probandi, quàm amplificandi ratio ad aliquam propositionē, aut quæstionem terminandam ordinata sit, obseruandum est duo esse illorū genera: vnum infinitum (quod Græcè Thesis, Latinè propositum) alterum finitum, quod Græcè hypothesis, Latinè causa, siuè controuersia appellatur. Thesis de genere vniuerso quærit, sine designatione personarum, temporum, locorum, aliarumque similium circumstantiarum, v.g. sit ne studijs vacandum; Hypothesis verò de rebus singulis, quæ personis, temporibus, locis, alijsque similibus circunstantijs implicitæ sunt, quibus fit quæstio finita, v g. sit ne studijs vacandum ab homine plebeo, aut nobili? hoc tempore, illo loco, &c. Rursus infinita quæstio duplex est, vel enim ad cognitionem pertinet, cuius finis est scientia: vt, sit ne terra rotunda? vel ad actionem, vt quibus medijs sit colenda amicitia? primę tria sunt genera. An sit, Quid sit, Quale sit, & similia; secundæ autem duo: vnum ad officium, sicut cum quæritur, amandi ne sint liberi? Alterum ad motum animi, vel gignendum, vel sedandum, planeve tollendum, v.g. quando fiunt cohortationes ad amandos liberos, ad gloriam, & laudem comparandum. Sequitur ex his, primò, aliū inuentionis fontem ad infinitam quæstionem, alium ad finitam desiderari: ad infinitam quippè siue thesim tractandam argumenta ex ijs præcipuè locis desumuntur, quæ Topica dicuntur: ad finitam verò siue hypothesim ex circumstantiarum locis, quæ vel rebus, vel personis attribuuntur. Sequitur secundò, quod, cum omnis argumentorum inuentio, vel ad probandum, vel

ad

ad amplificandum destinetur, necesse sit, vt omnia quæ rem probant, aut amplificant, rebus ipsis, quas probare, vel amplificare volumus, aliqua ratione conueniant, vel illis etiam aduersentur: cum contrariorum eadem sit disciplina. Tertiò sequitur, ita inuentionem earum rerum, quæ ad amplificandum pertinent, ex eisdem locis vndè argumenta petuntur, sumendam esse, vt tamen aliqua magis ad hunc finem conducant: ea videlicet, quæ multa in vna aliqua re esse ostendunt, vt loca à partibus, à causis, ab effectibus, ab adiunctis, hoc est antecedentibus, comitantibus, & consequentibus. Sequitur quartò, præfata loca è quibus veluti fontibus eruuntur argumenta, ita esse materiam remotā argumentationis, & amplificationis, vt etiam ex huiusmodi argumentis tanquam ex materia proxima, & ex se ipsis tanquā ex forma coalescant. Quia autem de locis iam sufficienter à nobis dictum est, nec non etiam de argumentatione pro vt ad dialecticam spectat, lib. 3. huius operis sect. 7. vbi de Rethorica, & Dialectica, hic tantùm breuiter agemus de eadem argumentatione, varijsque eius formis, siue speciebus, secundùm quod ad Rethoricam pertinent; definiturque argumentatio, apta & conueniens argumenti per orationem explicatio. Vbi enim Dialecticus in syllogismo, quæ est perfectissima arguendi forma, tribus pronuntiatis contentus est, videlicet propositione, assumptione, & conclusione, quarum duas priores maiorem, & minorem vocant, Rethores quinque partitum illum faciunt, quoniam propositioni, & assumptioni, siue rationi confirmationem, & exornationem adiungunt: quarum altera ad vim, altera ad ornatum, & elegantiam maximè pertinet. Confirmatio enim est ea, quæ pluribus argumentis corroborat breuiter expositam rationem; exornatio verò, siuè vt alij dicunt, expolitio rei honestandæ, & locupletandæ causa adhibetur, confirmata argumentatione; vndè præcipuè locum habet, cùm ratio, aut confirmatio, aut etiam propositio latentem vim habent, quæ breui oratione explicari non potuit. Quemadmodum autem orator supra Dialecticum duas partes, nempè confirmationem, & exornationem addit; sic Ecclesiastes duas item super oratorem: nempè affectus, & accommodationem, siue ad singularia descensum.

Prima igitur argumentorum forma est Inductio, qua rebus non dubijs captatur assensio eius, cum quo instituta est: qua assensione fit, vt illi dubia quædam res, propter similitudinem earum rerum, quibus assensit, probetur. II. Syllogismus, siue ratiocinatio, quinque partibus, vt statim diximus, constans; quæ tamen quadripartita esse potest: cum altera solùm pars eget probatione; potest & tripartita esse, cum neutra eget. Plenissima tamen est, quæ quinque partes habet. III. Complexio, siue Dilemma, sic dictum, quod ita vtrinque premat, ac vrgeat, vt ex altera parte capiat aduersarium: qua de causa cornutus etiam syllogismus vocatur: sic enim argumentationis cornua in eo disponuntur, vt qui alterum effugerit, in alterum incurrat. IV. Sorites, quæ multas argumentationes aceruatim complectitur: vndè & nomen obtinuit. Hoc argumentandi genus Dialectici de primo ad vltimum vocant. V. Enumeratio, siue expeditio, in qua pluribus rebus expositis, & cæteris infirmatis, vna reliqua necessariò confirmatur. VI. Subiectio, qua quærimus ipsi quid contra nos dici possit: deindè subijcimus id, quod dici oportet. VII. Collectio, quæ est perfectissima argumentatio, quinque suis partibus constans, videlicet, propositione, ratione, rationis confirmatione, exornatione, complexione, siue conclusione.

Amplificatio, quæ est altera Inuentionis pars præter ea, quæ sunt ipsi cū argumentatione propria, quatuor insuper

super

super generibus maximè constat, Incremento, Comparatione, Ratiocinatione, Congerie. Incrementum est amplificatio in superiora tendens, tuncq; est potentissima; cum magna videntur, etiam quæ inferiora sunt. Comparatio est amplificatio incrementum ex minoribus petens; dum enim augetur, quod est infra, necesse est vt attollatur id quod suprapositum est. Ratiocinatio est amplificandi modus sic dictus, quod alibi positus, alibi valeat, & vt aliud crescat, aliud augetur: atque indè ad id, quod extolli volumus, ratio deducitur. Vltimò adscribitur amplificationi congeries quoque verborum, ac sententiarum idem significantiū. Nam etiam si per gradus non ascendat, tamen veluti aceruo quodam alleuatur. Præter dicta facit quoque ad vim, & amplitudinem rerum ostendendam Asseueratio: cum vel aduerbijs; vel nominibus, vel alijs partibus apposnis amplificamus, vel in laudem, vel in vituperium. Sunt etiam qui Hyperbolen speciem Amplificationis esse velint, nam & hæc in vtramque partem valet; melius tamen dicendum, esse tropum, siue figuram eius propriam; sicut etiam ex hoc quod plura elocutionis ornamenta illi deseruiant, vt rerum, & personarum descriptiones, sermocinatio, conformatio, & alia huiusmodi, illi quoque annumerantur. Cum enim amplificatio ad cōmouendos affectus instituta sit, nihil ad hunc finem magis conducit, quam præfatæ partes; de quibus iterum infra §. 3. vbi de confirmatione.

Satis patet ex dictis, primùm egregij Concionatoris officium, ac munus esse inuentionem, ad quam necesse cum sit, vt insignes, & præclaras sententias, easque instituto suo accommodatas in promptu habeat, sic enim aptè dicet, superest vt in fine huius partis breuiter agamus, vndè & quomodo sit paranda huiusmodi rerum sylua, vel promptuarium. Non enim alia meliori ratione dictū à veteribus esse puto, Poetam nasci, Oratorem fieri: nisi quod facultas illa præcipuè naturæ beneficio, hæc verò studio, meditatione, assidua lectione primùm comparetur. Quod maximè verum est de Oratore Sacro, siue Concionatore, qui priusquam hoc munus attingat omnium ferè rerum scientiam habere debet: vt tanquam Scriba doctus in Regno Cælorum, proferat de thesauro suo noua, & vetera. Et quamuis non desint eorum quoque de numero, qui lectionem discendi voluntate sectantur, qui nihil scripto seponendum existimant; melius tamen cum alijs oppositum tenendum est: vt enim omittam plures huius rei rationes, pluraque maximorum etiam virorum exempla, qui commendarunt, & adhibuerunt sedulam excerpendi curam; quotidiana docet experientia, quanta, & quam breui, egregiarum rerum copia congeratur, si quis & accuratè, & continenter scripto conseruet, vel in aduersaria referat, quicquid memoria dignum constans lectio in dies offert; cui inseruient sequentes regulæ.

I Adhibendus in libris delectus, vt vtiles duntaxat legantur, siue in quibus non multa lectione multa legantur. Quod enim iunior Plinius lib. 3. epist. 5 de auunculo refert solitum eum dicere nullum esse librum tam malum, quin habeat aliquid boni; prę terquam quod si sit sermo de malo morali, ad eos solùm pertinet, quorum iam virtus cum iudicio, atque ætate maturuit; non videtur operæ pretium, si cum tam modico fructu, tantùm euoluatur paginarum inanium; vt si quis in dumeto vuā quærerer; pendenteque in cultissimis vineis opima vindemia, racemulos inter aspreta sectaretur.

II. Eorum vt plurimum libri legendi, & colligendi, qui quaque in arte duces habentur. Sunt enim hi fontes vndè cæteri hauserunt: sunt principes vndè cæterorum pendet authoritas: sunt denique semen omnis doctrinæ, vndè per se varias quisque potest fruges educere. Quamobrem licet Neoterico-

tericorum libri suas habeant laudes, quas imitari, & assequi gloriosum est: nihilominus si de authoribus loquamur, & non de rapsodis, & collectoribus, omninò præferenda est antiquorum lectio.

III. Vbi potissimum agitur de stylo formando, suum quisque nosse debet ingenium, & eos deligere libros, qui ad suum maximè gustum facti sunt. Simile enim simili nutritur: & quemadmodum in corporum cibis ita in pabulo mentis, quæ iucunda sunt maximè, ea fermè sunt maximè grata, & alentia.

IV. Pro hac eadem styli materia vniuersè abundantiores præferri debent ficciotibus: attamen contraria vt opus est remedia vitijs adhibeantur contrarijs; quibus exile est, pressumque nimis ingenium, augendum, atque laxandum læto, & amplo dicendi genere: quorum verò læta plus nimia, ac ferax exultat indoles, depascenda quodammodo est lectione limitatioti, & laconica.

V. Permultum interest, quo legatur ordine, tum ad rectam, tum ad facilem, permanentemque disciplinam. Quia autem in legendis, & colligendis libris duplex ordo potest intelligi, primum ex diuersis, quis prior, quisue postetior; tùm vnus, idemque liber, quo legendus sit ordine. Ex diuersis, qui prior scripsit, prior etiam legendus est: vbi enim nouus aliquis author ab antiqui lectione didicit vnam, aut alteram rem, cur aliquis alius illo fortasse ingeniosior ab ea ipsa lectione longè plures non eruet. Deindè hæc omnium breuissima videtur esse ad eruditionem via, si, vbi commodè fieri potest, primùm ipsi adeantur fontes, deindè quærantur riuuli. Hac tandem ratione quæ discuntur, videntur certiùs sciri, faciliusque etiam animaduerti, quos habuerit gradus disciplina quid ad priores posteriores addiderint, vt ex illis desumpserint; aliaque huiusmodi. In vno autem libro, vel opere legendo, ille tenendus est ordo, vt à carceribus lectio recta decurrat ad metas. Ita enim argumentum operis totum, resque singulæ, ac series disputationis percipientur facilius, & hærebunt fidelius.

VI. Adiungenda est ordini constantia, eaque duplex: primùm vt vni, eidemque insistatur operi, donec quicquid in eo est frugis, excerptum fuerit; de quo vide Senecam epist. 2. ad Lucilium. Deindè vt destinatæ lectioni horæ perseueranter obseruentur; cui opportuniores videntur matutinæ, vbi præsertim agitur de studio aliquo serio, & difficiliori.

VII. Quemadmodum in legendis libris delectus illorum habendus, ita etiam & in excerpendis; vt non trita, & vulgaria, passimque obuia, sed præstantissima quæque pro diuerso legentium fine eligantur, & notentur.

VIII. Cum tam in legendis libris, quàm in excerpendo ex illis, quæ sunt animaduersione digna, potissimũ obseruari debeat, cuius gratia id fiat, finis autem Ecclesiastes, siue Concionatoris sit, de virtutibus, & vitiis, de legis diuinæ præceptis, de Sacramentis, de Christianæ fidei mysterijs, alijsque similibus perpetuò dicere; debet illuc quoque variæ, & multiplicis lectionis suæ, tam sacræ, quàm prophanæ studium, ac laborem referre. Mirum enim est quantum hæc cura Concionatori prosit, multaque indè ab eo peruideantur, & obseruentur, quæ alias illum laterent. Igitur, sicut qui in Philosophia præstantiam amat, multa in Poetis quoque, & Historicis reperit, vndè naturæ cognitionem exornat; Ita etiam diligens Concionator, non solùm in Sanctis Scripturis, veterumque Patrũ libris, sed aliarum quoque doctrinarum obseruabit, vndè nunc locupletare, nunc explicare, nunc persuadere veritates à se intentas possit. Nec mirum, inquit Seneca epist. 108. ad Lucilium, ex eadem materia suis quemque studijs apta colligere: in eodem enim prato bos herbam quærit, canis leporem, ciconia lacertum. Vel melius ex

Plutar-

Plutarcho de aud.poet. ficut inter pascendum, apis florem, capra germen, sus radicem, aliæ bestiæ semen, fructumvè captant, ita legendis poematis, quod de alio quouis opere dici potest, alius historiam decerpit: alius elegantiæ, & apparatui verborum inhæret, alius verò, quæ de moribus vtiliter sunt dicta, consectatur.

IX. Quamuis dixerimus supra præferendam esse illorum opinionem, qui aliquid ex lectione excerpendum scripto arbitrantur; non desunt tamen modi, quibus adhuc citra hanc excerpendi solertiam, quæ digna sunt, adnotari possint. Primùm si summa rerum præclariorum in marginem eximatur, sic enim hora breui licebit libri, vel grandis renouare memoriam. Secundò si quis vel vsitatas, vel quas ad suum propriè vsum excogitarit adhibeat notas inter legendum, quibus certum quid significet: vt si exempli gratia, vbi crux appingitur, ibi intelligatur esse sententia ad mores notabilis; vbi circulus, ibi elocutio insignis, vbi stella ibi argumentum efficax, & acutum; & sic de alijs: prout asteriscorum, & obelorum vsum fuisse Origeni explicat D.Hieronymus epist.135. Quod autem aliqui subducant lineas versibus singulis; aut totum etiam locum linea circumscribant, fœdandis potius libris, quam memoriæ subleuandæ valet.

X. Excerpendi tempus ipsa est lectio. Vt enim quidque notatu dignũ offertur, continuò seligendum, ac reponendum est; aut vbi calami, & codicis copia non est, apponenda nota ijs, quæ excerpta volumus, vt statim occasione data scribantur.

XI. Cum inter alias scripto aliquid excerpendi rationes, reponatur humanæ memoriæ fallacitas, cui sine dubio promptum est aduersus obliuionem remedium eiusmodi solertia; ob eamdem etiam causam necessum est, vt in hoc recto ordine procedatur. Itaque tres minimum libri à Concionatore confici debent. Primus in quo, quidquid lectio subministrat, exscribat, nullo alio nisi lectionis ordine; quia magna est oblectatio, atque adeò opportunitas, si in vno quasi contuitu, quæ in vno quopiam libro sunt egregia, recognoscantur. Secundus in capita, vel quosdã cõmunes distinctus locos iuxta seriem Alphabeti, in quos ea ipsa, quæ aceruatim in priore sunt exempta codice, digerantur, vt exempli gratia, quæ ad auaritiam spectant, in verbo (Auaritia) quæ ad charitatem, in verbo (Charitas) & sic de alijs. Quod si alicui duplex labor, duplicis conficiendi voluminis non arrideret, is aduersaria conficere posset lato relicto margine, reique summam in eum extrahere, tum indicem luculentum, aut etiam plures disponere, ita vt quæ diuersis notata sunt locis sub vnum contribuat caput: & pagellas, in quibus illa inueniri queant, adscribat. Tertius erit, in quo notentur totius anni Euangelia, quæ vel Dominicis, & festis diebus, vel quadragesimali etiam tempore ab Ecclesia leguntur, & ad ea postmodum applicentur, quæcumque illis inter legendum consentanea, & accommodata reperientur. Vide Senecam epist.8.

XII. Vbi alicui Concionatori ampla nunquamque defutura Bibliotheca suppeteret, magno laboris, temporisque compendio, posset in præfatis libris, quam breuissimè res excerpere, & loca librorum, vndè illas excerpsit adnotare fusius videnda. Cui autem talis non est facultas, debet omnia per extensum describere, præsertim vbi verba ipsa authorum aliquid habent gratiæ, aut virium; indè enim opportunitas, quæ vel sola tantum laborem rependit; quod post aliquod tempus, breue electorum volumen pro Bibliotheca est, quam vbi libri ipsi non adsint, ad manum habere, & familiarem sibi facere, & quocumque libitum sit, circumferre modico negotio quis potest.

XIII. Vt autem labor hic totus frugifer

gifer, totuſque ſaluber ſit, magna primùm in legendo, & notando adhibenda eſt attentio, ac meditatio, nam lectio, quæ temerè fit, quæ curſim, quæ auidè, ac feſtinanter id duntaxat habet, vt confundat ingenia, non perfundat: ſimiliter atque ingentes, & raptim effuſi imbres eluunt magis ſolum, quã rigant. Deindè ne hebeſcat memoria; illuſtriores quidam loci non ſolùm ſcribendi, ſed etiam ediſcendi ſunt. Non enim cum excerpendum aſſerimus memoriæ exercitationem, quæ verè dicitur excolendo augeri, omittendam exiſtimamus.

XIV. Quia Eccleſiaſtes, loquor de perfecto, de omnibus ferè inter concionandum differere habet, atque adeò neceſſe ſit, vt plenam librorum, materiarumque in eis pertractarum notitiam habeat, plurimum ad hoc conferet frequenter euoluere Scriptores illos, qui varia Polyanthea, vel etiam Bibliothecas edidere; Huiuſmodi ſunt Bibliotheca Sancta Sixti Senenſis, Theſaurus Lorichij, Theatrum vitæ humanæ Laurentii de Beyerlinch, Bibliotheca Selecta Poſſeuini, eiuſdem Apparatus Sacer; Index vniuerſalis Alphabeticus materias in omni facultate pertractans Fabiani Iuſtiniani, item Elenchus authorum, qui in Sacra Biblia, vel vniuersè, vel ſingulatim, etiam in verſiculos data opera ſcripſerunt, iuxta eorumdem Bibliorum ordinum diſpoſitus; Bibliotheca Scriptorum Societatis Ieſu Petri Ribadeneiræ, & Philippi Alegambæ, Bibliotheca Bibliothecarũ Philippi Labbe, Aurifodina Ieremiæ Drexellij; Arcana ſtudiorum omnium Methodus Antonij Fichet; Florilegiũ Magnum, ſeu Polyanthea Ioſephi Langij, Iani Gruteri, Franciſci Syluij Inſulani, & aliorum. Bibliotheca Concionatorum Pariſ. in 4. Bibliotheca Patrum Concionatoria ibid. 8. Volum. in folio.

§. III.

De diſpoſitione ſecunda Theologiæ Paræneticæ, ſiue Artis Concionatoriæ parte.

POſt inuentionem ſequitur diſpoſitio, per quam illa quæ inuenta ſunt in ordinem quemdam rediguntur. Triplex eſt, vna veluti neceſſaria, quatenus ea primo loco tractari debent, quæ ad eorum, quæ ſequuntur intelligentiam, vel maiorem lucem neceſſaria ſunt; præterea ſemper à communioribus ad minus communia, à magis notis ad minus nota, & ſic de ſimilibus procedendum eſt. Altera dici poteſt connaturalis, quæ conſtat ſex partibus, aut membris ſtatim explicandis. Tertia Arbitraria, quod incidant nonnunquam cauſæ, ob quas huiuſmodi partium ordo immutari poteſt. Diſpoſitio igitur connaturalis, ſiue quam ars ipſa, & rerum natura affert, conſtat maiori, vel minori partium numero, ſecundum quod aliquæ illarum inter ſe confunduntur, vel non. Prima eſt exordium, ſecunda narratio, quibuſdam idem ac propoſitio, verùm non ita bene vniuerſaliter loquendo, etſi enim in Iudicialibus cauſis tractandis, narratio coincidat cum propoſitione, ſecus tamen in alijs, vndè in illis eſt tertia diſpoſitionis pars; quarta partitio, ſiue diuiſio, quam aliqui melius cum propoſitione confundunt, quatenus propoſitio in oratione probanda, & confirmanda multiplex eſſe poteſt. Quinta confirmatio, quibuſdam contentio, aut confutatio, quod eſt idem, contentio enim amplectitur diſceptationem cauſæ, confirmans noſtra, & confutans aliena. Sexta peroratio, quam alij Epilogum, alij concluſionem, & cumulum appellant. Has partes natura docuit, & hunc ordinem ſeruari iubet: vt antequam de re propoſita dicamus, initio concilientur auditorum animi: deinde res demonſtretur; poſtea controuerſia conſti-

constituatur: tum id quod intenditur confirmetur: postquæ contradici possunt, refellantur: extrema autem oratione, ea quæ pro nobis faciunt, amplificentur, & augeantur: quæ pro aduersarijs infirmentur. Sic prima pars ad conciliandos, vltima ad commouendos animos valet; cæteræ ad docendũ, ac probandum. Ex his etiam partibus aliquæ sunt necessariæ, sine quibus videlicet oratio esse non potest, vt est propositio, & confirmatio; aliæ integrantes, quæ faciunt ad perfectionem, vt exordium, narratio vbi à propositione distinguitur, & peroratio.

Ad huiusmodi autem Rethorũ partes sic se haber in Sacris Concionibus, vt exordio, prologus, siue introductio respondeat; narrationi siue propositioni, etiam propositio, vel assumptum in illis probandum; diuisioni, & confirmationi, earumdem quoque diuisio, & cõfirmatio, perorationi epilogus; quod apud Hispanos, & Gallos præmittitur inter concionandum Orationi Angelicæ non tam pars concionis, quam eiusdem præludium dici potest; sicut etiam in bipartitis Italorum concionibus per accidens se habet, quod detur epilogus primæ, & prologus secundæ partis; nunc de his omnibus, eorumque regulis, ac præceptis breuiter agemus.

Exordium, siue introductio cum sit pars orationis, aut concionis, qua animi auditorum ad audiendum præparãtur, facilè inde colligitur quales debeant esse eius regulæ. I. Planum esse debet, ac vereeundum, quod indicet reuerentiam erga auditores, sic enim beneuoli redduntur. II. Dociles potissimum efficientur per propositionem quam continet, vel si summa causæ breuiter in eo exponatur. III. Attenti per nouitatem eiusdem propositionis, aut si de rebus magnis, nouis, inusitatis verba facere polliceatur Ecclesiastes. IV. Etsi ordine executionis melius inchoetur ab exordio, aut introductione concio, tunc enim facilius eius partes connectuntur, vltimo tamen componenda est, primum enim sciri debet, quo eundum est, antequam via, quæ illuc deducat, inquiratur. V. Vbi in auditoribus supponitur aliquis affectus in summo, vel lætitiæ, vt in festis Paschalibus, Natalitijs, alijsque similibus, vel doloris, vt in passione Dominica, aut occasione mortis alicuius personæ populis acceptissimæ, pro qua fit oratio funebris; opportuna sunt exordia, quæ quodam quasi impetu, & quasi ex improuiso efferuntur, in quibus orator inferens argutias, & affectus explicet ipsa mysteria, vel iacturæ magnitudinem lamentetur. VI. Quando supponitur in auditoribus aliquod præiudicium, ratione cuius potest suspicari Ecclesiastes, ne eum minus beneuolè audiant, debet fieri exordium per solutionem huiusmodi præiudiciorum, proponendo causas, quæ eum à dicendo retrahere debuissent, & ita soluendo illas, vt nullus supersit scrupulus qui demum currentem detineat. VII. In propositionibus metaphoricis, exordium commodè desumi potest, ostendendo in communi, quàm opportunæ sint metaphoræ ad intentum finem, vel in particulari ab explicatione proprietatum rei, vnde metaphora ducitur. VIII. Interdum exordium est maior propositio minoris, per quam constituitur propositio confirmationis, exẽpli graria si proponeretur, Ieiunium quadragesimale esse obseruandum, deduci exordiũ posset amplificando maiorem huius propositionis, quæ est, omnia ieiunia à Deo præcepta debent obseruari, sed ieiunium quadragesimale est à Deo præceptum, igitur debet obseruari: felicius etiam succedit si per modum enthymematis proponatur; v. g. Ieiunium à Deo præceptum obseruandum est, ergo quadragesimale obseruandum est; vel Prælati sunt serui, igitur debent subiacere omnibus seruorum conditionibus, cæteris abundantius laborando, peiorem in omnibus partem habendo, non sibi sed subditis lucrando, & acquirendo; vbi vna cum

cum propositione habetur etiam diuisio trium conditionum seruis competentium, atque adeò prælatis, probato iam in antecedente, siue propositione inferente, quod sint serui. IX. regula præcedenti ferè similis ad formanda exordia quammaximè iuuans est, vt à propositione particulari, quæ constituitur retrocedatur ad vniuersalem, itaut ab hac in illam veniatur: vt si proponeretur deterior ne sit discentis, vel obedientis conditio, an docentis, vel imperantis; posset exordium sumi à propositione vniuersali, vnicuique videlicet sortem suam grauissimam videri, & hæc vbi amplificata fuerit per inductionem dici, hinc ortam esse occasionem diffidij propositi, cuius soluendi gratia problema illud instituitur. X. Exordia maximè propria sunt illa, quæ sumi solent ab occasione orationis. Occasio autem est, vel ex parte ipsius argumenti comparati ad personam, quæ dicit; ad locum vbi dicit; ad eos, apud quos dicit; à tempore, quo dicit; à materia de qua dicit; vel ab aliquo alio huiusmodi capite. XI. Cauere itaque debet Ecclesiastes ne exordium, siue introductionem sumat à rebus ita disparatis, vt vix cum re proposita connecti possit. XII. Exordium, siue propositio in illo facta, eadem planè praxi, qua cæteræ omnes, dilatanda est, stylo solùm differt, qui nec concitatissimus, nec ita vehemens esse debet. XIII. Magnitudini orationis, vel concionis respondere debet exordium, ea fere ratione, vt si contineat v.g. octo paginas, vna in exordio insumatur.

Exordio, siue introductioni succedit narratio, id est rerum expositio, non quidem illa, quę à Rethoribus in iudicialibus præcipuè causis tractandis adhiberi solet, sed alia nobilior, quæ non raró in conciones etiam incurrit; cuius quatuor veluti genera distingui possunt. Primum est, cum res gestas, quæ vel in sacris litteris, vel Sanctorũ vitis continentur, ad aliquid confirmandum, vel alicuius vtilitatis gratia in diuersis etiam concionum partibus commemorat Ecclesiastes. Secundum est, quod amplificandi causa sumitur; quo videlicet egregia Sanctorum facta, aut detestanda malorum exempla amplificantur. Tertium est, quod Allegoriæ, mysticisque diuinarum Scripturarum sensibus deseruit. Quartum in Euangelica lectione explananda versatur. Etsi autem huiusmodi narratorum genera multum à Iudicialibus differant, illis tamen regulæ sunt communes; I. Quod sint breues, vt possint retineri. II. Perspicuæ, vel dilucidæ, vt possint intelligi. III. Probabiles, aut verisimiles, vt possint credi, citiusque probari. IV. Quod lætis iucunda, serijs grauis, insignibus ornata, tristibus acerba tribuatur expositio. V. Obseruandum est in omnibus narrationibus, quæ fiunt ad aliquem affectum excitandum v. g. amoris, misericordiæ, iræ, indignationis, &c. vt descendatur ad quædam singularia, quæ moueant auditorem ad illum affectum, non autem in ordine ad odium.

Propositio, vt à narratione distinguitur ex dictis supra, est illa orationis pars, qua statim post introductionem breuiter status, & summa totius causæ, siue rerum dicendarum comprehenditur: vndè eum sit omnis confirmationis caput, nunquam omitti potest. Regulæ, siue conditiones eius præcipuæ sunt. I. Vt sit vna, ab illius enim vnitate desumitur vnitas orationis, vel concionis; quare etiam in illam, tanquam in metam omnia argumenta, siue totum id, quod in concione tractatur, collimare debet. II. Quod sit ita clara, vt non possit ab omnibus non intelligi. III. Vt benè cohereat loco, tempori, personæ dicenti, & audientibus: cum enim in mundo vix aliquid sit, quod absolutè sit bonum; ita vix vlla est propositio, quæ taceri non debeat, & aliquibus, & alicubi, & aliquando; quemadmodum enim si corã Principe probaretur Monarchiam esse optimum administrationis genus, gratissi-

ctissimus illi foret orator, non item si hoc ipsum in libera Ciuitate, vel Republica concludendũ assumeret. Et quia ex huius regulæ negligentia non minimum plerumque peccatur, ideo diligenter obseruanda est. Et ad hoc multum conducet si Concionator nouus in aliquo loco consulat peritiores, quænam, & res, & verba sint, quæ in eo benè, aut malè audiant. IV. In concionibus curandum est quantum fieri potest, vt propositio sit practica, vel si sit speculatiua, ordinetur ad excitandũ in auditorum animis aliquem peculiarem affectum. Hinc videmus Concionatores eos potissimum probari populis, qui moralia tractant, secus verò illos, qui speculatiua tantùm, & remota à vulgi cognitione prædicant. V. Quamuis propositiones, quæ ad auditorum commoda, vel vtilitatem redundant, quales sunt illæ, quæ continent formationem morum, plerumque illorum attentionem sufficienter concilient, quia tamen sunt etiam interdum ita vulgares, & tritæ, vt parum placeât, ideò secundum illarum diuersitatem, Ecclesiastes diuersos quoque modos illas variandi, nouitatemque illis dandi debet adinuenire, ratione cuius excipiantur ab auditoribus cum plausu.

VI. Propositio igitur aliàs vulgaris & trita reddetur noua, si efferatur Problematicè. Exempli gratia inteudit Concionator probare ambitionem, vel auaritiam mundo perniciosissimam esse. Hæc propositio acceptissima cum sit apud omnes; ad illam non ita attenderetur, ac si problematicè disquirenda proponatur; potiora ne ab ambitione, vel auaritia damna mundus acceperit, an verò commoda. Præterquam quod hic modus latissimum aperit amplificationibus campum, recreatque auditores pugna illa rationum, quæ in vtramque partem adducuntur. VII. Propositio absoluta noua fit aliquando per comparationem; sit exemplum. Mali aliquando sunt vtiles virtuti. Nihil habet hæc propositio attentione dignũ. At si fiat comparatiua hoc pacto. Virtutem plura improbis debere, quam probis, illicò admirabilis videbitur. VIII. Propositio noua fiet, si fiat mutatio de genere in genus. V. g. cum aliud sit vituperare, aliud laudare, fiat talis mutatio, si Concionator ex intentione laudandi proponat, se velle tantùm peccata damnare. IX. Propositio noua fit, si ex contradictorijs componatur; exempli causa. Minus dura mors est miseris, quàm felicibus; fiet hæc admirabilis assumendo contradictoria hoc modo. Felicitatis genus esse infelicem mori. X. Propositio fiet noua si ad paradoxum reducatur, hoc est efferatur per modũ rei ab opinione hominum valdè remotæ. Vt si quis velit probare hominem multorum sibi malorum auctorem esse, fiat noua propositio si dicat, miserum esse neminem, nisi qui velit. XI. In genere iudiciali, à diuersitate causæ duntaxat, cum diuersæ effici debeant propositiones, non indigent aliqua speciali regula, aut præcepto. XII. In deliberatiuo, ratio vtilis, quæ comprehenditur in omni propositione, variari potest, si hęc ratio generica magis specificatur, vel ratione subiectorum in quibus est, & sic dicetur, ieiunium vtile esse animæ, & corpori; vel ratione temporum, & sic munitionem vrbis, vtilem esse rebus prętentibus, & futuris; vel ratione locorum, & sic, eleemosynam non minus in terra, quàm in cœlo beare hominem; vel ratione ætatum, & sic virtutis studium senibus, iuuenibusque prodesse; vel ratione conditionum, & sic non minus pauperes, quam diuites posse ab eadem virtute habere pręsidium; vel demum ratione statuum, & sic moderationem vtilem esse rebus prosperis, & aduersis; verum cum hæc regula ad diuisionem potissimum pertineat, de illa statim redibit sermo.

XIII. In genere exornatiuo, prętor dictas rationes, quæ variandis etiam eius propositionibus prodesse possunt, dantur aliæ insuper propriæ; reducendo v.g.

do v. g. statum illius, quem laudare intendimus ad Ideam, vt, si sit Episcopus, ostendendo in illo germanam Episcoporum Ideam, si Religiosus Religiosi, & sic de cæteris; ad quod necesse est nosse virtutes proprias vniuscuiusque vitæ generis; vel ad vnam aliquam virtutem, v.g. charitatem, aut misericordiam omnes illius actiones, & ostendendo vel ex vna, qualis, & quantus fuerit in alijs; Item si problematicè quæratur vtra in re, aut virtute magis excelluerit, sic enim facilè comprehenduntur, quęcumque de aliquo dici possunt; vel etiam comparetur alijs, qui apud homines maximo sunt in pretio; quæ tamen ratio magna indiget prudentia; de Sanctorum enim meritis periculosum est disputare; & omnis comparatio odiosa summopere est; vel tandem erigendo illi templum, aut imaginem delineando, aut coronam texendo, aut tropheum, & pyramidem statuendo, aliaque similia, quæ Panegyristis sunt maximè in vsu, sicut & metaphoræ; quas tamen aliqui parum probant, tum quia videntur non magnam ingenerare rei, de qua dicimus, opinionem, tum quia huiusmodi similitudinibus per totam orationem, vel concionem productis, videtur lędi varietas tantoperè commendata; sed de his redibit sermo infra §. 4.

Propositioni, vbi simplex non fuerit, subijcitur diuisio, siue partitio: quæ breuis est partium propositionis enumeratio. Ea duplex est: vna quæ tantùm in genere iudiciali adhibetur, per quam aperitur, quid cum aduersarijs conueniat, & quid in controuersia relinquatur. Altera est, qua in omnibus causarum generibus explicatur, quot, & quibus de rebus simus dicturi, & quē in dicendo ordinem secuturi. Licet autem totā hanc rectè diuidendi rationem Cicero prudentia magis, & consilio, quam artis præceptis constare putet, non desunt tamen aliqua ad eius perfectionem. I. Ne sit obscura. II. Ne longa nimium, ac multiplex, nec ideo pluribus quam tribus, aut quatuor membris comprehendatur; euenire tamen interdum potest, vt aliqua diuisionis pars docendi gratia iterum diuidenda sit. III. Ne permixta genera partibus implicentur, sed membra diuisionis inter se cohæreant; hoc est, sub eodem genere vniuocè contineantur. Qua in re multi peccant, qui sola nominis voce contenti, dissimillima inter se membra sub eodem nomine coniungunt. Vt si quis ciuitatem supra montem positam, aut iustum sicut palmam florentem explicaturus; montem vel palmam faciat virum Sanctum, de quo sermonem habiturus est: deindè Ecclesiam, tùm iusti viri animam: atque ita de triplici monte, vel palma se concionem habiturum diceret. IV. Huiusmodi partitiones, siue diuisiones nō semper propalam colloeandæ sunt, sed tunc tantum cum duo, vel ad summum tria capita non excedit. Cauendum autem ne si propalam efferantur, ita insistatur in primo membro, vt terreatur auditor, quod tantundem concionatorem immoraturum in cæteris suspicetur, quare tunc, vel propalam non erunt efferendę, vel alia commoda ratione huic tędio consulendum. V. Eo ferè modo, quo ex statim dictis variantur propositiones, possunt earumdem etiam multiplicari diuisiones, vel ab ipso subiecto propositionum, vel ab eius proprietatibus, vel à diuersitate locorum, ætatum, personarum, temporum, aliarumque rerum similium.

Propositionem, ac eius diuisionem vbi fit, sequuntur confirmatio, & confutatio, quarum illa ad probandum, hæc ad refellendum valet; illa argumentando causæ facit fidem, hæc aduersariorum argumenta, quæ vel obiecta sunt, vel obijci possunt, dissoluit. Vndè ad hanc orationis partem primùm, & potissimum spectant omnia, quæ de argumentorum inuentione, eorumque formis docent Dialectici, quibus Rhetores omne orationis robur acceptum

ceptum ferunt, si quid argumentis, aut probare velint, aut reprehendere. Verùm quia tam Oratori, quàm Concionatori incumbit non solùm vt doceat, quod proprium est Dialecticorum, sed etiam vt delectet, & permoueat; nunc agendum est de omnibus illis, quæ ad hunc finem confirmationem iuuare possunt. Huiusmodi est: I. Argumentorum adinuentorum ordo, siue dispositio. Præter enim totius orationis dispositionem, cuius ipsamet confirmatio est pars, hoc est quod vtamur introductione, narratione, propositione, diuisione, confirmatione, confutatione, & conclusione, datur altera, qua in eadem confirmatione argumenta inter se aptè ad persuadendum collocantur; vndè etiam definiri potest, Argumentorum inter se apta ad persuadendum collocatio. Vt quod primo loco ponatur argumentum, ex cuius explicatione cætera facilius intelligi possint: secundò firmissimæ semper argumentationes in primis, & postremis orationis, vel concionis partibus collocentur, cum enim post propositionem, siue narratione facta attentissimus sit auditor, nisi graue audiet argumentum, de tota concione benè sperare non potest: & quoniam nuperrimè dictum facilè retinetur, aut memoriæ mandatur, vtile est, cum dicere definit Concionator, quod recentem aliquam relinquat in animis auditorum bene firmam argumentationem. Tertiò, quæ mediocria, parumque necessaria ad probandum interponātur, & in medio collocentur, non tam ea numerando, quam conglobando, vel per præteritionis, & concessionis figurā, vel alio modo; sepè enim, quæ separatim ac singula dicuntur, infirma sunt, cum cæteris tamen coniuncta, firma, & probabilia redduntur. Quartò, quod argumentum affectus capacissimum, seruetur vltimum, in fine enim infigendus aculeus auditori, & cum eo dimittendus. Quintò ita disponantur argumenta, vt non solùm vnum post aliud, sed etiam vnum ex alio inferri videatur (ad quod iuuat attendere, quæ argumenta affinitatē habeant) vtque tandem semper crescat oratio, & semper plus aliquid, & maius dicere videamur.

II. Cum confirmatio nihil aliud esse videatur, quàm ipsamet propositio non tantùm per simplicem argumentationem, more logico probata, sed insuper amplificata, & dilatata, siue Rethorices figuris illustrata, atque exornata, in illa etiam debent obseruari omnia præcepta, & regulæ, quæ ab arte tradi solent circa modum, & praxim dilatandi propositiones in amplificatione, quam supra paragrapho secundo inuētioni annumerauimus, & argumentationi coniunximus. Ad quod primum valet inductio, vbi propositionis amplificandæ subiectum, & prædicatum est totum diuisibile in aliquas partes; vt si dicatur, vita hominis est plena miserijs, hoc totum quod est vita hominis subiectum huius propositionis dilatari potest, si diuidatur in ætates, & status, quibus vita hominis constat, & sic dicatur. Pueritia, infantia, adolescentia, ætas robustior, & senectus sunt plenæ miserijs, ergo tota vita hominis est plena miserijs. Potest hæc ipsa, quæ dilatata est ex diuisione subiecti, dilatari adhuc per diuisionem prędicati, quod item est aliquod totum in suas partes diuisibile; miseriæ enim aliæ sunt corporis, aliæ animæ; aliæ à nobis ipsis, aliæ à fortuna; aliæ intrinsecæ, aliæ extrinsecæ; & sic de cæteris. Secundò, vbi subiectum in propositionibus est aliquid habens rationem singularitatis, dilatantur eiusmodi propositiones per descriptionem; vt si dicatur, nihil esse calamitosius vrbe ab hostibus direpta, talis propositio amplificabitur describendo ipsam direptionē vna aliqua ratione ex illis, quæ infra adducentur. Tertiò dilatari etiam possunt aliquæ propositiones per exempla conglobata; vt si fiat hæc propositio, Tyranni ratò mortem violentam effugiunt, dilatabitur exemplis diuersorum

ſorum Tyrannorum, qui illam ſubierunt. Quartò per ſimilitudines explicatas. Vnico verbo tot ſunt rationes dilatandi aliquam propoſitionem, quot ſunt loci communes apud Rethores; & quamuis aliqua propoſitio petat vno modo, alia altero dilatari, poterit tamen vna aliqua omnes admittere; in cuius exemplum adducitur illa ipſa, quam per inductionem diximus amplificari poſſe, duplici modo: Vita hominis eſt plena miſerijs; dilatabitur item per deſcriptionem, oſtendendo quàm ſit onerosa, quàmque difficilis; item per exempla adducendo illos, qui mortem præuenerunt ob impatientiam vitæ; item per ſimilitudines, vt Nautæ in tempeſtate, volucris in cauea captiuæ, &c. item per ſynonima, vt militiã hanc noſtram non alia agnoſcere ſtipendia, quam laborum; terram nobis infelicibus colonis ſpinas dũtaxat germinare; item per auctoritates Sacræ Scripturæ, & Sapientum quibus humanæ vitæ miſeria aſſeritur: item per comparationem, aut aliorum animalium, aut cum conditione Angelorum, & ſtatus innocentiæ: item per effectuũ enumerationem recenſendo mœrores, dolores, tædia, & id genus alia, quæ ex vita proueniunt. Tandem à conglobatis definitionibus, vitam hanc eſſe lachrymarum vallem, exilium hominis, ſepulchrum animæ, &c.

Quia autem præter modum dilatandi propoſitiones in amplificatione, datur inſuper alius eas dilatandi in periodo, huic etiam ſuæ non deſunt regulæ, quamuis enim dilatari etiam poſſint ijſdem fermè rationibus, quibus & dilatantur in amplificatione, quia tamen propoſitio ſolis conſtat terminis, dilatari non poteſt niſi per dilatationem eorum ipſorum terminorum, quibus conſtat; alioquin non vna dilataretur propoſitio, ſed plures potius coaceruarentur. Exempli gratia, ſi ſit dilatanda in periodo hæc propoſitio, Sol oriens omnia lætificat; dilatari debet primo terminus Sol, qui vtique cum ſit aliquid ſingulare dilatandus eſt per deſcriptionem, non per inductionem; ſecundò terminus oriens, per circumſtantias ortus; tertiò terminus omnia, per inductionem, & enumerationem eorum, quæ lętificantur à Sole: quartò terminus lætificat, adducendo varios huius lætitiæ modos in varijs ſubiectis, in animantibus, in arboribus, in floribus, alijſque ſimilibus. Huic quoque modo dilatandi periodos mirificè conducunt ſenſus ſynonimi, & deſcenſus ad ſingularia, eo modo quo fit in deſcriptionibus. Denique diuiſio, tota ferè eſt cuiuſcumque dilatationis origo.

Cum etiam confirmationi, de qua agimus plerumque annectatur confutatio, imo ambæ ſub contentionis, & probationis nomine comprehendantur vt diximus ſupra, obſeruandum eſt, quæ contra à nobis confirmata opponuntur, potiſſimum confutari poſſe, ſi aut ex his, quæ ſumpta ſunt, non conceditur aliquid vnum, pluraue; aut his conceſſis, concluſio ex his confici negatur; aut ſi genus ipſum argumentationis vitioſum oſtendimus; aut ſi contra firmam argumentationẽ, alia æquè firma, aut firmior ponitur. Valet quoque ad confutationem, Eleuatio, cùm videlicet aduerſarij argumenta ridemus, Excuſatio, vt ſi ætas, imprudentia, ſexus afferatur: Deprecatio, mutua criminatio, & inuerſio ſigni contra nos allati.

Vltima diſpoſitionis oratoriæ pars, ſeu artificioſus orationis exitus, eſt epilogus, vel concluſio; cuius leges ſunt. I. Quod in ea fiat breuis argumentorũ recapitulatio, quibus propoſitio probata fuit in confirmatione, ita vt ex tali recapitulatione fiat antecedens perorationis, deindè ex illo concludatur oratio, per concitationem illius affectus, quem intendimus. Exemplo res clarior fiet; ſit propoſitio orationis, vel concionis, ieiunandum eſſe, quia ieiunium vtile animæ, & corpori; probata fuerit in confirmatione hæc propoſitio

positio his fermè rationibus, & argumentis; Ieiunium memoriam iuuat, intellectum acuit, perficit voluntatem, corporis vero sanitatem, pulchritudinem, ac robur tuetur: ergo ieiunium vtile animo, & corpori, quæ est conclusio confirmationis; vt igitur fiat peroratio assumenda est pro antecedenti anacephaleosis, siue recapitulatio omnium illorum argumentorum hoc modo: Ieiunium memoriam iuuat, intellectum acuit, &c. qua ergo excusatione, aut ratione possumus ieiunium recusare? Hanc igitur rem adeò vtilem, nobisque proficuam negligemus? &c. II. In tali anacephaleosi cauendum est, ne vllum argumentum de nouo proferatur, quod antea non fuerit in confirmatione adductū, vel enim illud, quod de nouo adderetur, gratis esset dicendum, & reijceretur; vel certè non sine suspicione admitteretur ab auditoribus; vel demum si de integro tractaretur, peroratio in confirmationem defleсteret. III. Ita debet fieri huiusmodi argumentorum repetitio, vt multa appareant, non enim in hoc solùm adhibetur, vt auditorum memoria reficiatur; sed vt omnia simul breuiter cōglobata, velut agmine facto in eorum animos irrumpant, & apud illos, quod vult orator, efficiant. IV. Diligenter aduertendum est, ne sit recta, & simplex dictarum rerum repetitio, est autē talis cùm plana quadam ratione dicimus nos dixisse hæc, & hæc: præterquam enim sic læditur auditor, cuius memoriæ minus fidere videmur, nihil insuper tali repetitione odiosius esse communiter docent Artis magistri: vndè curandum est, vt vehementiori aliqua figura, maiorique artificio fiat: de quo vide Ciceronem lib. 1. de Inuentione. V. In hac argumentorum summa, vel enumeratione, id ex vnoquoque eligatur, quod erit grauissimum, & vnumquodque quam breuissimè transferatur, ne tam peroratio, aut epilogus, quàm noua sit oratio.

At quia peroratio non dicta solum argumentorum enumeratione constat, sed etiam affectibus, tanquam altera sui parte, imò proprius est eorum locus, commodissimè enim probata iam causa, velut strue lignorum composita, affectuum flamma consurgit, ideò sint adhuc pro illis sequētes regulę. I. Quod Ecclesiastes, vel orator imbibat primùm ipse affectum illum, quem vult in alijs imprimere, sic enim facilè redundabit in vocem, in gestum, in figuras, aliaque huiusmodi. II. Perorationis affectus, cum ratione causæ, vel materiæ, quam præcipuè in concione, vel oratione tractauit, conuenite, & cohærere debet; ad hunc modum si suadet, vbi rei dignitatem, & vtilitatem argumentis probauit, aculeos adijciet; contra verò si dissuadet ad odium, & contemptum, ac detestationem eius rei acriter incitabit. Sicut Rethores in iudicialibus causis indignationis, & commiserationis affectus excitare conantur. Accusator quippè vbi crimen admissum esse probauit, ad vindictam, & supplicium excitat; deffensor verò è contra, vbi argumentis reum ostendit innocentem, ad absolutionem, & misericordiam hortatur. Vide D. August. lib. 4. de doctr. christ. III. Cauendum diligenter, ne eum excitare volumus vnum affectum, dicamus aliquid, quod excitare contrarium possit, vel disparatum: in quo deficiunt concionatores, qui agentes de terrore diuini iudicij, & de operibus iustitiæ Dei, digrediuntur ad commendandam eiusdem misericordiam, hoc enim secundùm quia spem excitat, distruit primum quod intendebat timorem. IV. Quæ excitant affectus, non debent esse dubia, sed ita clara, vt de illis iam dubitari non possit, proindè statim diximus affectus seruandos esse in fine, vbi iam omnia clarissimè probata sunt, & intellectus cōuictus rationibus, voluntas enim, in qua potissimum sunt affectus, sine præuio intellectus lumine moueri non potest. V. Quia non omnia, quæ clariora sunt intellectui, potentiora sunt semper ad exci-

excitandos affectus, sed quæ magis sensibus, & oculis præsertim exposita sunt, talia enim magis mouent phantasiam, atque adeò intellectum, & indè voluntatem; hinc etiam illa fructuosius ab Ecclesiaste plerumque vsurpantur; vt si exempli gratia deterrendi essent auditores à templorum irreuerentia: si diceret illos exuendos Dei gratia, & fæditate peccati deformandos, quamuis hæc mala grauissima sint, quia tamen minus sunt sensibilia, minus forsan mouebunt, quam si diceretur, auolabit Deus ex hoc Altari, solo æquabit templum, aliaque similia. VI. Cum pariter quæ præsentia sunt magis moueant, quàm quæ futura, ideò concionator ad excitandos affectus describere debet res quasi præsentes, vt in hoc ipso exemplo vehementior erit motus, si dicat, excutite puluerem è pedibus Sacerdotes, sacras colligite reliquias, auferte Sacramenta vobiscum, &c. VII. Vt breuis in affectibus esse debet Concionator, ita etiam, & vti figuris vehementioribus, & alijs quæ pertinent ad genus dicendi summum, de quo §. sequenti. VIII. Aduertat affectus non tam insanis conclamationibus, quàm veris argumentis, modoque dicendi graui concitandos esse. Et quamuis interdum apud hominum vulgus eiusmodi vociferationes aliquid prosint, nec non etiam quod proferantur ossa mortuorum, implicetur funibus collum, aliave similia fiant; summa tamen cum prudentia talia adhibenda sunt; ne cum deberent lachrymæ elici, cachinni potius, vel ab inuitis extorquerentur.



§. IV.

De Elocutione tertia Theologiæ Paræneticæ, siue Artis Concionatoriæ parte.

Tertio loco sequitur Elocutio, quę vt inter cæteras Concionis partes difficillima, ita etiam præcipua esse videtur, maximè si auditorum conditionem inspiciamus, hoc est imperitam multitudinem, quæ res non pro illarum dignitate, sed pro explicandi ratione concipit: Indè videmus multos Concionatores eruditione, rerum scientia, & ingenij acumine præstantes, ob incultum, ac rudem dicendi modum fastidio auditoribus esse, qui aliàs tamen vehementer commouentur, vbi quid ornatè, quantumuis minus præstans, ab altero dicitur. Quia autem singula quibus hæc pars constat, quæque lib. 4 huius operis cap. 5. enumerauimus, minutim prosequi longius esset, de illis duntaxat breuiter agemus, quæ ad eius perfectionem magis obuia & necessaria esse videntur; cuiusmodi sunt primò stylus; secundò varia dicendi genera; tertiò quæ faciunt ad locupletandam elocutionem, ita vt vna, & eadem res pluribus modis explicari possit; quartò ea, quæ illam eruditam efficiunt; quintò quæ acutam.

Primum igitur stylus, cum nihil aliud sit, quàm facultas quędam explicandi res verbis, quibus oportet, & modo quo oportet, videtur pertinere ad Elocutionis elegantiam, quam loco statim citato, primam eius virtutem, aut qualitatem esse diximus. Illius leges sunt. I. Ne Concionator Euangelicus synonymorum multitudinem coaceruet, & quasi in lineam colligat; pręterquam enim eiusmodi synonimorum sarcina plerumque aures offenduntur, insuper vbi se offert occasio explanandi, aut secundo eamdem rem iterandi, iam semel assumpta verba, iterum resumere necessum est. II. Abhor-

II. Abhorrere debet ab omni affectato sermone, affectatio enim in omni genere linguarum odibilis esse solet; idē dico de omni fucato, teneroque, & quasi fœmineo eloquio, quod Sapientum maximè aures lædit. III. Fugiendus est in concionando præcipuè stylus poeticus, & quamuis non ita facilè sit assignare in quo differat ab oratorio; nihilominus obseruarunt aliqui in hoc potissimum situm esse, quod Oratorum modo non explicent res ipsas Poetæ, sed eorum loco Deos præsides, signa, causas, effectus, aliaque huiusmodi. Frequentior etiam translationum vsus, ita vt nihil vnquam ferè dicatur per verba propria, sed omnia per metaphoras, stylum poeticum facit; nec non frequentiora epitheta; Orator enim ea non assumit, tanquam complementum periodi, vt sæpè poetæ carminis; sed tātùm si magis rē explicent, si addant pondus amplificationi, si contineant argutiam aliquam, vel eruditione scitu dignam; ac tandem in omni penè verbo ad fabulas allusus. IV. vt cauendum ne nimis studiosè, vel antiqua, & obsoleta, vel mollia, & putida, vt sunt diminutiua quædam, verba captentur; ita quoque vitari debent descriptiunculæ, in quas aliqui qualibet data occasione digrediuntur, vt sunt horti floridi, riuuli fluentis, choreæ, vel mundi muliebris, &c. V. denique ad styli elegantiam, in idiomate præsertim vernaculo, quam optimus quisque verbi Dei Concionator omni studio comparare debet, vt maximè iuuat, cum viris vrbanis, & comibus assiduè loqui, ita & optimi cuiusque styli libros euoluere, ex omnibus seligendo id, quod in ipsis maiori laude dignum est; audiendi enim non sunt illi, qui in verba, aut stylum alicuius auctoris iurandum esse putant.

Ad compositionem, quæ est altera elocutionis pars, aut virtus, quamque suo loco definiuimus aptam verborum sententiarumque collocationem, spectat dicendi genus; parum enim prodesset in eloquendo elegantia, nisi cū his quæ dicimus, & in quæ auditorem duci, ac formari volumus, verba etiam consentirent, in quo potissimum videtur consistere dicendi genus, secundum quod à styli elegantia distinguitur. Iuxta Rethores triplex est, imum, medium, summum, alijs verbis, attenuatum, mediocre, graue, tàm pro varietate rerū, de quibus habetur sermo, quæ facilè ad tres dictas classes reduci possunt, quā quod tribus etiam Oratoris, aut Concionatoris officijs docendi, delectandi, & flectendi, siue mouendi, tria hæc dicendi genera præcipuè conueniant; vt rectè ex Cicerone ostendit D. Augustinus lib. 4. de doctr. Christ. his verbis. *Cum vir eloquens tria præstare debeat, id est, vt doceat, vt delectet, vt flectat, ad eumdem etiam hæc tria dicendi genera pertinere, ait idem ipse Romani auctor eloquij. Sic enim inquit: Is erit eloquens, qui poterit parua submissè, modica temperatè, magna granditer dicere: tanquam si adderet etiam illa tria, & sic explicaret vnam, eamdemque sententiam, dicens: Is igitur erit eloquens, qui vt doceat poterit parua submissè: vt delectet, modica temperatè: vt flectat magna granditer dicere.* Hactenus Augustinus. Ex cuius verbis apertè constat, hæc tria dicendi genera, ad tria illa Concionatoris officia, docendi, delectandi, atque mouendi pertinere [illegible]

Imum, siue tenue dicendi genus est, quod imitatur consuetudinem familiariter loquendi, & planum est, vt in epistolis, & narrationibus; vndè non habet figuras vehementes, nec ornamenta nimium exquisita; eximitur pariter vinculis numeri periodici, quamuis habeat etiam suam armoniam, munditiam solùm, & puritatem sermonis requirit: tale dicendi genus muneri potissimum, vel officio docendi competit. Medium genus, siue mediocre, & temperatum vberius est, aliquantoque præcedenti robustius, admittit enim sententiarum lumina, metaphoras, & alia, quæ magis ad ornatum faciunt, quàm ad vim

ad vim; correſpondet muneri delectandi, præcipuèque locum habet in exordio, & cum aliquid vituperatur, & laudatur, ſiue in genere demonſtratiuo. Summum autem ſiue graue dicendi genus, vt complectitur quicquid efficacius, & exornatius, tam in verbis, quàm in ſententijs habet Rethoricæ, ita etiam competit præcipuo eius muneri commouendi Auditorum animos: *Docere enim*, inquit Auguſtinus lib. 4. de doctr. Chriſt. *neceſſitatis eſt, delectare ſuauitatis, flectere victoriæ*: ſeruit quoque perorationibus, amplificationibus, affectuum præſertim grauiorum concitationibus, ac denique omnibus materijs ad genus deliberatiuum, ſiue ſuaſorium pertinentibus. Quamobrem, cùm hoc grande genus orationis ſublimitatem, & vim ad concitandos animos habeat (quod quidem eſt præcipuum, & ſingulare Concionatoris officium) danda illi opera eſt, vt in omni concione vnam aliquam rem, aut plures etiam eligat, quas hac dicendi figura proſequatur. De quibus omnibus videndus eſt ad copiam D. Auguſtinus loco citato; nec non de numero oratorio, qui compoſitioni etiam annumeratur; licet ad concionandum minus neceſſarius ſit.

Demum ad dignitatem, quæ eſt tertia, & vltima pars Elocutionis reddens eam ornatam, reducuntur omnes modi, & rationes illam variandi; ſiue quæ faciunt ad hoc, vt vnam, & eamdem rem pluribus modis explicemus. I. Per ſynonyma rei, de qua dicimus: vt pro naui poſſumus dicere Triremem, Myoparonem, Ratem: II. Per æquipollentia, vt ſunt quæ per ſynecdochem, metonymiam, & catachreſim efferimus. III. per Periphraſim: vt cum pro Sole dicimus nobiliſſimum illum lucis aurigam: pro luſcinia Syrenem ſyluarum; IV. per tropos, vt ſunt quæ per ſynecdochem, metonymiam, & catachreſim dici ſtatim notauimus; item per antonomaſiam: elocutio autem non ſolùm per eam variatur modo illo communi, quo dicimus Oratorem Romanum pro Tullio, Apoſtolum pro Paulo, diſcipulum dilectum pro Ioanne; ſed etiam cum illi, quem laudare, vel vituperare volumus, affigimus nomen illius, qui in illo genere virtutis, aut vitij ſummus habetur: vt cum dicimus Archimedem pro Mathematico, Phalaridem pro crudeli, Catonem pro graui, Protheum pro mutabili, & in vniuerſum ea omnia, quæ dicuntur per quandam eccellentiam, habent rationem aliquam antonomaſiæ.

Per Hyperbolem quoque variatur elocutio; vt autem eſt dictio fidem veritatis excedens, augendæ, minuendæve rei gratia; primùm minuitur potiſſimum per comparationem aliquam cũ rebus inanimatis, & ſic dicimus ſtipite aridiorem, ſilice duriorem, littore ſurdiorem, plumbo ſtupidiorem, pluma molliorem, ampulla inaniorem, Charybdi voraciorem, morte odioſiorem, & his ſimilia. Secundò minuitur comparando cum perſonis notiſsimis in eo genere, in quo vituperamus, & ſic dicimus Cyclope immaniorem, Sardanapalo molliorem, Gigantibus elatiorem, &c. vel etiam cum populis, & gentibus, quæ in eo genere infames ſunt; vt cum quis vocatur Pigmeo breuior, Cretenſi mendacior, Theſſalo perfidior, Scytha aſperior, Arcade ſtolidior, Pæno fraudulentior, & his ſimilia; vel inſuper cum perſonis, conſiderando in illis munera, conditiones, & artes, & ſic dicimus Areopagita triſtiorem, milite glorioſiorem, Tenedio Iudice ſeueriorem; vel denique cum animantibus, quæ in eo genere notiſſima ſunt: vt cum dicimus tauro robuſtiorem, teſtudine tardiorem, vulpe fraudulentiorem, fele rapaciorem, phœnice rariorem, vulture edaciorem, muliere loquaciorem, & his ſimilia. Tertiò tandem minuimus aliquid, iterando idem verbum per ſuum abſtractum: vt cum dicimus ipſa nequitia nequiorẽ, ipſa loquacitate loquaciorem. Iiſdem omninò rationibus augeri poſſunt res,

quibus

quibus minui, & laudari, quibus vituperari; vndè comparando eum inanimis dicemus, Magnete illicibiliorem, auro pretiosiorem, fonte puriorem, niue candidiorem, melle dulciorem, sole clariorem; cum personis verò notissimis, vel in comędijs, vel in fabulis, vel in historijs, Mercurio facundiorem, Venere formosiorem, Marte bellaciorem, Minerua doctiorem, Gratijs humaniorem, Euterpe concinniorem, Aristide iustiorem, Penelope castiorem, Vlisse sagaciorem, Achille fortiorem, Numa Sanctiorem, Regulo fideliorem; & sic de alijs comparationibus; quas tamen concionator debet potissimum facere, per ordinem ad alias res, aut personas in virtute illa laudatissimas, quæ habentur in diuinis scripturis.

Vltima denique, eaque nobilissima ratio variandi elocutionem est per Metaphoras, siue etiam per Allegoriam, neque enim aliud Allegoria est, quam Metaphora continuata. Vbi igitur verba non suppetunt propria, quibus res explicetur, vel proprium non est ita nobile, sed tritum, & commune, recurrendum est ad metaphoras, eoque libentius, quo in diuinis Scripturis frequentior earum vsus est, & homines plerumque translatis, alienisque magis delectentur verbis, quàm proprijs, & suis; cuius causa est, quod translatio est similitudo ad vnum verbum contracta: similitudine autem mirificè capiuntur animi. Eo tamen distat, quod illa comparatur rei, quam volumus exprimere, hæc pro ipsa re dicitur. Comparatio enim est cum dicitur fecisse quid hominem, vt leonem, vel agnum; translatio est, cum dicitur de homine leo est, agnus est. Variæ eius species assignantur, prima, cum ab inanimis ad animata, secunda ab animatis ad inanima; tertia ab animatis ad animata; quarta ab inanimis ad inanima transfertur aliquid. Quam diuisionem alij magis explicant hoc pacto, à bestijs ad inanima, ad plantas, ad homines; à plantis ad inanima, ad bestias, ad homines; ab hominibus ad inanima, ad plantas, ad bestias; de quibus redibit sermo libro huius operis sexto.

Quia autem omne id, quod est metaphora respectu alterius, de aliquo propriè dicitur: indignari enim, quod de Araxe fluuio metaphoricè dixit poeta, pontem indignatus Araxes, de homine proprijssimè dicitur; Ideò prima radix, aut ratio inueniendi metaphoras videtur esse: si habeantur ad manus voces propriæ, cuiusquę rei, & artis; hoc enim pacto facile erit trãsferre proprium vnius ad aliud; Exempli gratia, si sit describenda tempestas poterunt sumi metaphoræ ab ijs, quæ propria sunt rei bellicæ, aut militaris, & sic dici, digladiare ventos, liquidis arietare montibus cœlum; vt si è contra sit describenda pugna militaris, poterunt assumi ea, quę sunt propria procellæ, quæve pertinent ad Nauticam, atque ita dici, fluctuare victoriam, vix vnum aliquem è tot fluctibus liberum enatare.

Aliam rationem inueniendi metaphoras docuit Aristoteles in Poetica, & est; cum accipitur genus illius rei, cui intendimus metaphoram applicare; & cum sub eodem genere sint diuersæ species, aliæ quidem nobiliores, ignobiliores aliæ, has assumimus, vt vituperemus, illas vt laudemus. Exempli gratia, vult quis laudare magnanimitatem Achillis: In genere magnanimi sunt, tanquam species Aquilæ, Leones, Heroes: si vis igitur laudare, dices Aquilam, vel Leonem; species verò ignobiliores in eodem genere directè illis oppositæ, sunt Lepores, Columbæ, vndè ad explicandam alicuius timiditatem, dices leporem, vel columbam.

Tertius modus, illeque facillimus inueniendi metaphoras est per respectus, quos habet res aliqua ad alias, v.g. ad suas causas, & effectus, ad paria, ad maiora, ad minora, ad contraria, ad antecedentia, ad consequentia. Sit exemplum in eo, qui vult Solem descri-

describere per metaphoras conglobatas: vt illas inueniat, consideret varios Solis respectus, vel ordines, ad suas causas, nimirum Deum, cuius dicet thronum esse, & imaginem; ad cælum, cuius dicet esse oculum; ad patia, vt sydera, quorum dicet esse patrem, & regem; ad situm in quo est,& dicet esse cor mundi; ad effectus suos, & dicet esse aurigam lucis; ad mundum,& dicet esse lampadem in hoc vastissimo Dei templo veluti suspensam. Vt autem hic modus felicius succedat,attendendum est diligenter in rebus ipsis,cũ quibus inest hic ordo, qualiter accipi soleant, & per metaphoras definiri: vt Exempli gratia mundus ad quem Sol habet respectum, alijs animal est, alijs theatrum, alijs templum Dei: vndè si Sol referatur ad illum quatenus animal, sicut eleganter appellabitur eius cor, & oculus, ita ineptè dicetur lampas, secus atem comparatus ad illum, vt habet rationem Templi. Quartus modus erit, si res propriæ vnius sensus transferantur ad alias, quæ sint propriæ alterius, & sic dicatur, bibere voces auribus, deuorare aliquid oculis, ferere verba, & similia: ferere enim quod manus est proprium, trãsfertur ad linguam, & deuorare,& bibere proprium gutturis, transfertur ad oculos, & aures. Quintus si accipiantur res propriæ cæli ad significanda ea, quæ sunt in terris, & è contra; sic aptè dicitur, florere cęlum astris in ęterno illo vere; & suis distingui syderibus cælo æmulam terram,cum floret.Sextus denique, cùm res vnius artis proprias transferimus ad alias artes, & sic rectè dicitur circinare, & tornare periodos, transferendo ad oratoriam, quod est mathematices, & artis tornatilis; Naturalia item ad artificialia, & è contra, sic cælum dicimus Academiam syderum, mare tumulum Solis; ac tandem ciuilia ad rem rusticam, & è contra, quo pacto dicimus Rempublicam florere ciuibus, & similia.

Quemadmodum autem metaphorarum perfectio in hoc potissimum attenditur, primò quod sint nouæ; quæ enim passim teruntur à vulgo, minus placent. Secundò, quod sumantur à proprietate, quæ magis elucet in re. Tertiò, quod non solùm per eas innotescat simpliciter res, quæ exprimitur, sed etiam eius proprietas, & modus, aut maior aliqua conuenientia vnius in alium, quæ per verbum proprium non ita innotesceret. Sic rectius dicetur pluere ex oculis lachrymas, quam scaturire, aut fluere, pluere enim videtur explicare modum lachrymarum, quo cadunt, quem non explicant alia duo verba. Quartò metaphora, quæ attribuit animam rei inanimatæ, & repræsentat res in actione perfectissima est, sic dicuntur sagittæ volandi auidæ, Aetna flammas eructare, & his similia; quibus propter rerum magnitudinem diuinæ non rarò vtuntur litteræ; Tale est illud: flumina plaudent manu, simul montes exultabunt à cõspectu Domini. Et alio loco: tunc exultabunt omnia ligna syluarum à facie Domini, &c. Rei enim magnitudo, nempè Christi Domini in mundum aduentus; hoc exigere videbatur; Cur etiam tantoperè placeant huiusmodi metaphoræ, rationẽ reddunt aliqui, quia quæ actuosa sunt, magis mouent sensus, vt patet in pictura, cuius rationem aliquam habent Metaphoræ. Vt, inquam præfata ad earum perfectionem concurrunt; ita etiam eorumdem defectu plurimum illi pręiudicatur; nec non ratione improportionis, vt si quis vocet Solem candelam; item ratione materiæ, vt sunt illæ desumptæ à rebus sordidis; ratione obscuritatis, ac tandem si nimium sint hyperbolicæ; quæ tamen vitia facilè corrigi possunt per apposita, seu epitheta, cum enim alia sint ab excessu, alia à defectu, prima quidem per appositum minuens; secũda per appositum eleuans corrigentur; vt si de Sole dicatur esse lampadẽ, tenuis metaphora erit, apponatur epithetum augens, & corrigetur dicendo, immen-

immensam esse lampadem, vastissimo huic Dei templo parem; & in vniuersum, nihil est, quod magis metaphoram ornet, quam epithetum, dummodo non sit inane illius complementũ.

Ad eamdem Elocutionis dignitatẽ, præter dictos illam variandi modos, pertinent quoque ea omnia, quæ tàm grauitatem, & cruditionem, quàm argatiam illi addere possunt: vbi per grauitatem non intelligitur ea, quæ se tenet ex parte inuentionum, & probationum, sed quæ solùm facit ad ornatum elocutionis. Fit igitur potissimum grauis sententiarum admixtione; hæ autem sunt propositiones quædam absolutæ, continentes aliquod receptissimum apud Sapientes dictum, vel præceptum aliquod ad mores spectans. Eiusmodi sententiæ aliquando continent rationem, & causam illius, quod asseritur; modo quidem vnam, modo verò plures: Earum locus proprius est in fine argumentorum, vbi conclusimus aliquid, & per sententias quodammodo exultamus in victoria. Ad eruditam elocutionem faciunt, prouerbia, fabulæ, historiæ, allusiones ad illas, comparationes cum rebus, vel naturalibus, vel artificialibus; quæ, vt cauendum ne extra rem, ita etiam ne plusquam par est, afferantur, præsertim à Concionatore; Paulus namque Apostolus in suis epistolis triginta quinque vicibus citat Dauid; & Esaiam viginti septem, tum etiam passim veteris legis commemorat loca: Ter autem duntaxat Ethnicos citat Poetas. Argutã denique reddunt elocutionem, dicta quædam acuta, seu formulæ quædam dicendi à communi ratione valdè remotæ, quę continent, vel causam inexpectatam alicuius effectus, vel analogiam aliquam, vel ęquiuocationem, vel annominationem, & affinitatem vocum, vel contrarietatem, siue oppositionem continuam, aut aliquid huiusmodi.

§. V.

De memoria, & pronuntiatione quarta, & quinta Theologiæ Paraneticæ parte.

PRæter ea, quæ iam breuiter pro instituti nostri ratione notauimus lib. 3. huius operis sect. 7. cap. 5. de memoria, & pronuntiatione, nihil hic amplius occurrit dicendum; tantùm ergò sit de partibus Theologiæ Paræneticæ earumque regulis; plura enim de illis desiderans, nec non de modo illis vtendi pro diuersitate materiarum concionabilium primo huius capitis paragrapho explicatarum, poterit consulere sequentes authores; Franciscum Panigarola Ital. Ludouicum Granatensem de Ecclesiastica Rethorica; Didacum Stellam de modo concionandi, Ioannem à Iesu Maria de arte concionandi, Paulum Arctium de eadem Italicè, Concionatorum rudimenta Petri Rodulphi à Tossignano, Iacobum Peresium de sacra ratione concionandi; Instructiones prædicationis verbi Dei ex Concilij Prouincialis III. Mediolanensis decreto editas iussu S. Caroli Boromæi; Ioannem Segobiensem Ord. Prædic. de Prædicatione Euangelica, & vt omittam plures alios, qui de hac eadem materia, aut rebus ad illam pertinentibus scripsere, Caroli Regij è Societate Iesu opus inscriptum Christianus Orator, tribus partibus, & decem libris distinctum, numerisque omnibus meo iudicio absolutum.

FINIS.



Moni-

Monitio ad Lectorem.

HVnc quintum librum sexto huius Operis Tomo destinatum, complere deberet promissa aliquoties breuis, resolutoriaque epitomes præcipuarum materiarum, vel quæstionum Theologicarũ salua fide inter Doctores Catholicos controuersarum, iuxta methodum, ex supra allatis, specialiter ab Angelico Doctore Diuo Thoma in Summa obseruatam, miramque eius doctrinam, sed quia pro meis votis nondum est numeris omnibus absoluta, interim, vt hoc nostrum Opus sit, quantùm ad præsens institutum sufficit, perfectum, placuit in hoc quinto libro, sextoque tomo tradere, quæ vniuersim spectant ad Theologiam, quatenus suas disponit materias, & certas præscribit regulas, illas tractandi, indèque dicitur *Methodica*, tùm in sequentibus libris sexto, & septimo, comprehensis tomo septimo, & vltimo, quæ ad eamdem pertinent, quatenus vtendo Metaphoris dicitur *Symbolica*, prouocando autem, vel dirigendo affectum in Deum *Mystica*.

BIBLIO-